

JOANNIS LEGATII
 CHRONICON COENOBII S. GODEHARDI
 IN HILDESHEIM,

Ex MSto.

Registrum.

- C. I. De Bernhardo Episcopo Hildensemensi, Monasterii Divi Godehardi Fundatore, & Friderico primo Abbate Monasterii ejusdem.
- II. De Arnolde secundo Abbate.
- III. De Theoderico, tertio Abbate, & quod Ecclesiam in Sveglete fundaverit.
- IV. De Brunone, quarto Abbate.
- V. De Hinrico, quinto Abbate.
- VI. De Volkardo, sexto Abbate.
- VII. De Wernhardo, septimo Abbate.
- VIII. De Ludoldo, octavo Abbate, & quod Ecclesiam Gizensem acquisierit.
- IX. De Hermannno, nono Abbate.
- X. De Theoderico, decimo Abbate.
- XI. De Hildebrando, undecimo Abbate, & quod diem Sanctæ Scholasticæ, item divisionis Apostolorum, item Missam de Beata Virgine, item mandatum pauperum quotannis agi instituerit, & quomodo Cisterciensis Ordo Monasterium nostrum impetraverit in locum studii universalis, & quomodo sub eo aperte invenitur rigorem Sanctæ Regulæ resedisse.
- XII. De Eilardo, duodecimo Abbate.
- XIII. De Waltero, decimo tertio Abbate.
- XIV. De Burchardo, decimo quarto Abbate, & de horrendo schismate in Ecclesia Hildensemensi inter duos ad Episcopatum electos, & de dissensione duorum Monasteriorum inter se, Sancti Michaelis & Sancti Godehardi, & quomodo Hildensemense everterunt oppidum, Dammonem, & de miserabili strage Hildensemensium, & quomodo coacti sunt extruere Castrum Mariæ.
- XV. De Woltero, quinto decimo Abbate.
- XVI. De Theoderico, Abbate decimo sexto, quomodo Priorem suum rapit in carcerem jusserit, quomodo Episcopus Abbatiam spoliaverit, & usum Episcopalis mitræ impetraverit.
- XVII. De Arnolde, Abbate decimo septimo.
- XVIII. De Hinrico, decimo octavo Abbate, & quomodo translatus sit ad Abbatiam Divi Michaelis.
- XIX. De Hinrico Godelem, Abbate decimo nono.
- XX. De Helmoldo, vigesimo Abbate, & quomodo simoniace Abbaciam adeptus sit, & quomodo reformari non potuerit.
- XXI. De Hinrico, vigesimo primo Abbate, & quod prius fuerit Abbas Sancti Michaelis à Nicolao Cufano depositus.

Finit Registrum primi libri.

Regi-

Registrum libri secundi.

- I. De ortu Bursfeldensis reformationis.
- II. Quod à Monasterio Ordinis Regularium Sancti Augustini, *Wittenborch* Clusa ordinis Divi Benedicti reformatum sit.
- III. Quomodo è Clusa reformatum Bursfeldia, e Bursfeldia cætera Monasteria Ordini Divi Benedicti.
- IV. De celebrato Provinciali Capitulo Herbipoli, præfente Nicolao de Cufa, & quomodo idem Nicolaus Hildesheim venerit & ad Monasteria.
- V. Quomodo post mortem Helmoldi Hinricus Abbas eligitur, eam rem Episcopo & Præposito majore inique ferente, & quomodo idem Episcopus Monasterium visitarit.
- VI. Quomodo Ernestus Præful Abbatem & omnem congregationem, reformari nolentes, excommunicaverit.
- VII. Quomodo Abbas Hinricus sæpe admonitus reformari recusaverit, & quomodo in mendacio spem posuerit.
- VIII. Quomodo decipere voluerit, quos Episcopus miserat pro reformatione, & quomodo deprehensus sit in altutia sua.
- IX. Quomodo Hinricus post appellationem Romam miserit, & missi, voti compotes, redierint, & interim Hinricus coactus sit suscipere reformationem, & multa promittere cum juramento.
- X. Quomodo Hinricus deservit à promissis, & post mortem ejus Abbas Lippoldus declaratur.
- XI. De Lippoldo Abbate in reformatione primo ordine XXII.
- XII. De persecucionibus ejus, quas primo passus est, & victor extiterit.
- XIII. De eo, quod Monasterium nostrum reformatum creverit in re spirituali simul & terrena, & de moribus Lippoldi, qualis in suos, qualisque in alienos fuerit.
- XIV. De reformatione Monasterii Sancti Michaelis in Lunenborch.
- XV. De periculoso tumultu & seditione civium Luneburgensium in Monasterii ejusdem reformatione facta.
- XVI. De reformatione Monasterii Winhusensis Cisterciensis Ordinis.
- XVII. De his, quæ ædificavit Lippoldus, & morte ejusdem immatura.
- XVIII. De Bertramo Abbate vigesimo tertio, quomodo in comparatione aliorum scilicet Abbatum sit major.
- XIX. De ortu, nativitate ejus, & qualis fuerit in Monasterio atque in privata vita.
- XX. Qualis in Prælatura ad omne genus hominum.
- XXI. Qualis apud seipsum, & de oratione ejus, de horis dicendis.
- XXII. Quis fuerit in gregem sibi commissum.
- XXIII. Excusatio, quod à nonnullis iracundiæ accusatur.
- XXIV. Quanta fecerit in Monasterio ampliando & ædificando.
- XXV. Descriptio totius hominis exterioris, & quod valde fuerit humilis.
- XXVI. Qualis in hospites, peregrinos & pauperes.
- XXVII. Qualis & quantus in reformandis visitandisque Monasteriis, & quod Abbates quatuor ex se genuerit.
- XXVIII. De abdicatione, qua se sponte Abbaciatu abdicavit.
- XXIX. Oratio Bertoldi Hildenesheimensis Episcopi, Bertramum increpantis de eadem abdicatione, responsivaque Bertrami.
- XXX. Oratio Johannis Abbatis Sancti Michaelis de eadem re, & quod Bertramus post abdicationem denuo Abbas eligitur, & paulo post moritur.

*Domino Monasterii Divi Godehardi Abbati, Henningho, Patri suo
Colendisimo Johannes Legati Monachus Monasterii
ejusdem, id ipsum, quod est &c.*

HAud scio, Pater Venerande, quonam pacto ad id venisti, ut, quod Tute melius potes, facere alium imperitaris, nisi est, quod suspicor, Te mole curarum aliarum sic oppressam, ut huic rei dare operam non possis. Mihi historias scribere præcepisti, qui es ipse historiarum plenus & veterum & novarum, & Græcarum & nostrarum.

Tibi id aptissime congruebat, qui non abundas historiis solum, verum etiam dives quarumque rerum lectionum. Nichil apud Te antiquius, nichil gratius, nichil jocundius literarum ac librorum cupiditate. Fatentur hoc studia tua quotidiana. Nam dum per occupationem, curæ pastoralis licet, quid aliud die tota agis, quam quod folia numeras, evolvis codices? Ad literas velut ad tutissimum portum, ex molestissima curarum turba, refugere soles; haud secus ac quis ex verticosissimo salo, post innumera pericula & mortes, currit ad littora. Quæ cum ita sint, cur detrectasti hoc scribendi certamen? An quod reprehendi formidabas? an quod non fit tibi cornea fibra, os metuebas populi? Non sic effugies, quin digna pro factis præmia reportes. Tuum est, quod scripsi, qui scribere imperasti. Quod ergo scripsi, aut bonum est, aut malum. Si bonum, tibi ea laus ascribetur: si malum, patere, quod meruisti. Ego alienus ero. Te, si qui volent, laudent, honorent, extollant: Te reprehendant, arguant, incusent. Ego neque laudantis neque mordentis linguam volo. Quod si quis abs te transiens reprehensionis in me tela torquere voluerit, si lenia erunt, feram: si crudelia, ea excusationis clypeo excipiam. Nunquam me melius dicere vis, quam possum. Non possum aliter, quam possum; quod possum, possum, & non ultra, quam possum. Non magni curo, si non omnibus placere queam. Res est supra naturam magis, quam hominem nasci sine humano semine; ut unus aliquis homo, eadem in re, omnibus possit placere. Sine humano clemente ortos multos homines legimus: cunctis placuisse inauditum est. Nichil igitur mea refert, placeam an displiceam, dummodo uni placeam tibi. Neque ita facere potes, quoquo modo feceris, quo minus nitar placere. Non, si laborem cunctum meum Vulcanæ consecres, qui in hoc quoque placebo, æquissimo animo ferendo. Historiam ergo Abbatum Monasterii Divi Godehardi, cui tu haut indignus præses, te duce teque auspice inchoatam consummatamque, ad te supplex mitto. Quam cum lectitaveris, si iudicio tuo gravissimo placebit, fatere satisfactum voluntati tuæ: si displicuerit, quod quidem magis futurum reor; si universa, flammis trade; si pars, eam sumpto calamo dele, ac iudicio fietque cadatque tuo. Vale.

Purima esse videntur, atque uti ego opinor, quatuor præcipua, quæ veteres maxime scriptores impulere ad scribendas res gestas clarorum virorum: Gloria laudis, spes quæstus, elatior cothurnis, [oratio] imitatio recte factorum. Quorum nullum quidem præter imitationem probo: sed ne imitationem quidem ipsam satis. Nam quid tibi prodesse videtur, immo non obesse ad animæ salutem, æmulari vel Hectorem fortissimum pro Troja, vel sævum Achillem pro Danais dimicantem: vel Turnum pulcrum piæque Æneam ob Laviniam inter sese bella gerentes; vel, ut altius repetam, gigantes, ut ajunt, terræ filios arma moventes contra Deos, Jovemque Patrem omnipotentem? Hæc ut scitu pulcherrima, ita imitatu maxime vana. Quid de gloria laudis, quid de spe quæstus, quid de inflatiore stylo dicam? Id unum, (quavis tandem ex causa scriptitarint) notissimum est, neminem illorum scripsisse sine humano die. Neque ea res tota eos frustrata est. Invenerunt, quod quæsierunt. Egregia illorum apud cunctos laudatio & fuit semper, & est eritque, dum hic stabit mundus. Hac laudis spe Poeta finxit, orator oravit, philosophus philosophatus est, miles militavit, Imperator triumphavit, & quo mirere magis, nonnulli extra orbem terrarum profecti sunt. Sed o infelices! hæc vestra merces tota, hoc laboris præmium: hæc studii vestri retributio est. Nichil est, quod ultra expectetis. Recepistis mercedem vestram. At vero homini Christiano, qui multo meliore spe innitur, quique non in hac vita tantum sperans vivit, sanior esse ratio debet quidlibet faciendi. Scripturus igitur vitas resque gestas nostri Monasterii Abbatum, non hoc quero, ut plerique forsitan falso suspicabuntur, ut hominis michi dies arrideat, (neque enim est tale opus nostrum,) sed quo Domino meo Abbati Henningo ac Heynemannō confratri, cujus frequentiori hortatu, huic oneri quamvis gravi, humeros submissi, morem gerens, consulam posteritati. Nam, quod etiam me pene ab scribendo absterrebat, ita nonnulli ex Abbatibus ipsis longa sunt oblivione obsoleti, ut illorum non fortia facta solum, verum etiam vix nomina sciamus. Quo magis miror, majores nostros usque adeo sopore gravi dormitavisse, ut ad vel parum scribendum ne semel quidem experrecti fuerint. Aliorum facta paucissima, aliorum nulla, ac uti dixi, jam vix nomina novimus. Recte igitur agi videre mihi videor, si id opus aggrediar (tametsi cervicem premit) ne minoribus nostris nos æque, ac nobis majores nostri æterno opprobrio simus. Sed majore studio incumbendum michi agendumque, & ut sic dicam, sudandum: quippe cui sunt ex obstrusissimis angulis, & ut ita dixerim, ex ultimis pene tenebris, ea, quæ scribenda erunt, in lucem revocanda. Quare te oro, Lector, si brevior fuero, quam pro amplitudine tantorum virorum, ne me reprehenderis nimis brevitas. Messus est enim parum, quam nichil boni proferre. Liberalitas in paupere gratior est, ait Fabius.

Expli-

Explicit Prologus.

I. De Frederico primo Abbate Monasterii Sancti Godehardi.

Bernhardus erat Episcopus Ecclesie Hildenesheimensis vicefimus, altis natalibus, è genere de Wallesbusen Comitum procreatus. Hic primum Ecclesie ejusdem tantum *Canonicus* fuit, mox *Scolasticus*, deinde *Præpositus*: per inferiora officia ad summam rerum administrationem pervenit. In privata vita bonus, melior in fastigio, acerbus nulli, omnibus prodesse cupiens. Anno ab ortu Christi *millesimo, centesimo, trigesimo secundo*, Pontificatus sui secundo, quarto Kalendas Novembrias, cum ceptam à prædecessore suo Bertoldo Divi Godehardi inter Sanctos relationem perfecisset, anno insequenti XVI. Kalendas Julias, in honorem ejusdem Sancti Viri, monasterium novum extruere cepit. Prima Ecclesie fundamina suis ipse manibus jecit. Monasterium Ordinis Sancti Benedicti esse voluit, quod ille ipse Sanctus Godehardus, cujus esset Ecclesia futura, de Ordine eodem erat. Totum è sectis quadratisque lapidibus, cum turribus fortissimis duabus, in australi plaga, haud longe à mœnibus Hildenesheimensibus, & inter homines, (mirabere forsitan) & extra homines collocatum. Anno humanæ salvationis 1136, Præfulatus Bernhardi sexto, octavo Kalendarum Juliarum, Monasterio nondum ad plenum consummato, Bernhardus fundator Fridericum Abbatem primum Monasterio eidem præfecit. De Bernhardo (cujus vitam Johannes veteris civitatis Abbas eleganti sermone perscripsit,) satis literis traditum est. De Frederico prosequamur. Hunc alii Corbejum, alii Fuldanum, quod est vero proprius, putant, Virum recte vivendi peritissimum. Hic est ille Fridericus, qui Sancto Godehardo dono dedit amplissimum thesaurum, libros tam venustos & utiles quam pretiosos; non fragili papyro, non fluxa illa arte impressoria, qua sero venit, sed validissimo pergameno compositos; Beatum Gregorium in Job, quos Morales vocat, in tres codices divisos, Collationes veterum Patrum, in duas partes; Omelias diversorum Doctorum anni totius, item in duas. In duas quoque partes Henricum Corbejum Monachum in Omeliis, Antiquorum Sanctorum sermones ad populum, & ipsos in duas partes sejunctos, Regnorum Paralipomenonque. Vitas confessorum multorum, Pontificum, Abbatum, Sacerdotum ac Monachorum in codicibus tribus, & alios multos, de quibus longum esset memorare, eo atramento, ea arte, ea manu scriptos, ut ipsos nulla unquam possit abolere vetustas. Eterni habentur. His illis scripturarum instrumentis fabricatus est gradus vitæ sempiternæ. Quam recte dictum est, virum recte vivendi peritissimum. Intellige Magistrum ex instrumentis. Qualis enim quisquam sit artifex, talia instrumenta sunt ejusdem. Fertur, cum Romanum Pontificem peteret, in itinere infirmatum diem obiisse, in Italia sepultum.

Cap. II. Arnoldus, ut primum Abbas creatus fuit, ad curam gregis commisi animum intendit. Friderici divinis humana solatia conjuxit: sine alteris enim non vivitur. Quæ ac quanta fecerit, non opus est, ut nos contestemur. De se ipse loquatur. Arnoldus, pauper Christi, Beati Godehardi vocatus Abbas, tam presentibus quam futuris. Quia diuturna temporum antiquitas benefacta plurimorum obscurare oblivione consuevit, ideoque condignis eis non exhibetur recordationis memoria. Ea, quæ pius Dominus per nostrum ministerium & sollicitudinis instantiam huic Monasterio in diebus nostræ provisionis conferre dignatus, partim annotare curavimus, supplici prece Lectorem exorantes, ut pro his apud Deum nobis nostrorum veniam peccatorum, & ipsorum quantulamcunque benignus impleret retributionem laborum. Horum autem summa hæc est: In Eynem unum mansum & XII. jugera X Marcis. In Alem unum mansum, jugera X, XX Marcis tribusque talentis. In Sunglese XIII mansos & X jugera C Marcis: Item duos mansos, XXII Marcis. Item duos mansos XVI Marcis. Item quatuor Mansos & XII jugera. Decimam in Achtem LXXXVI Marcis. Dimidiam decimam in Upphem & mansum unum LXX Marcis & I. Item X jugera VII talentis. Pro (*) retentatione unius mansi in Barentem IV marcas. Item in Lusbike III mansos pro Westonem.

In Betbmer pro tribus mansis solvendis XI marcas; pro molendino in Barentem IV marcas. Præterea majorem testudinem in orientali plaga, & porticum & absidem aquilonarem plumbo tegi fecimus. Insuper & Sancti Godehardi oratorium, Domino cooperante, per nostrum ministerium cum magna expensa honestissime dedicatum est. Domum Goslaris V. marcis solvimus, domum Walteri IV. marcis, duo plenaria IV marcis & II talentis, Pallium I. marca & dimidia. Pro Advocatia XVIII. marcas. Turre Ecclesie occidentalis inferiorem testudinem consummavimus. Humana sunt ista Friderici divinis adjuncta, præter duos plenarios, quos auro, argento eboreque vestivit. Corpus ejus nostra demum ætate, Abbate Bertramo, integrum reperitur, annis plusquam tercentum post mortem.

III. Theodericus Arnoldo subrogatus, nichilo segnior Friderico Arnoldoque fuit. Hujus rogatu Adelhogus, Hildenesheimensis Præsul, Vir tanto dignus honore, & qui de nobis bene meruit, quicquid Bernhards privilegiorum, quicquid immunitatis jurium, quicquid libertatis nostro Cœnobio contulerat, confirmavit. Ab omni Ecclesiastica secularive persona,

ab

(*) f. redemptione,

ab jure Archidiaconatus, à potestate Advocati, ab omni denique jurisdictione ipsum illud cœnobium cum terminis exemit. Arbitrio Abbatis cuncta permittit. Ob id dimidius mansus quatuor solidorum Canonicis datur. *Erponi* Archidiacono marce dux data. Multa quoque coëmit: VII. mansos, L. jugera, unam semis decimam, agrosque alios complures centum, septuaginta septem marcis. Nec his contentus *Theodericus* vir impiger ac fugitans otii, audacius quiddam aggreditur, quo ipsum ut præteritorum, ita etiam futurorum Abbatum nemo meo iudicio æquaverit unquam. *Sveglete* nomen est villæ in Episcopio Hildenesheimensi, haud minima pars bonorum nostrorum. In hac ædem sacram exædificat, adjuncta turre lapide quadrato, ac sic fortem, ut inde facile possis hostem arcere. Domum Dei ædificat, ut in domo illa Dei magis ædificetur & ipse.

IV. Bruno in demortui *Theoderici* loco sufficitur. Quo de illud unum dicere possum, quod binominis fuerit, & *Berno* vocatus & *Petrus*. Nec inde majorum nostrorum negligentiam, eamque certe nullo etiam pacto excusandam. Haudquaquam potest esse, quin & Vir iste Venerabilis, & plerique alii, qui & ipsi sunt solo nomine cogniti, ea fecerint, quæ non immerito memoriæ proderentur, si scirentur.

V. Henrici tempore trium mansorum agri nostro Monasterio adjecti, ex bonis *Rodulphi* Monachi Cœnobii nostri, permittente *Siffrido*, Hildenesheimensi Episcopo, ejus nominis primo, quem *Philippus* Imperator constituit in divisione Sacri Imperii contra *Ottomem* Brunswicensem. *Siffridus* tamen neutri dedit, neutri abstulit, utrique se eundem ostendit.

VI. Volkardus Hinrico suffectus. Hic quoque addidit tres mansos, quos non parvo pretio, sexaginta marcis coëmit.

Caput VII de Wernhardo deest. *IX. Ludoldus* dives auro argentoque fuit. Quam pecuniam ut vir, à quo procul aberat avaritia omnis, in gloriam Dei fratrumque suorum utilitatem convertit, sicut hodieque liquet. Emit igitur in perpetuum nobis octo mansos, jugera sex & quinquaginta, medietatem molendini in *Afensede*, Advocatiam in *Brulove*, junctis areis in platea Sancti Godehardi usque ad rivulum urbis portas alluentem; unam semis decimam: omnia hæc centum octoginta octo libris, quatuorque & triginta talentis. Ultra Vir juste liberalis progrediens, non huc venisse illi sat visum est, quin universam hæreditatem *Theoderici*, cui cognomentum de *Penau*, quam possederat in villa *Gysen*, tam in jure Patronatus Ecclesiæ villæ ejusdem, quam in hominibus, agris, sylvis, aquis aquarumque discursibus, centum ac duabus libris comparatam, nostro quoque Monasterio conjungeret. Plerique mortales cæca ducti cupiditate, dum pecunias avarius condunt, ipsarum servi facti: *Ludoldus* noster imperator pecuniarum factus non servus, implevitque Scripturam: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut recipiant vos in æterna tabernacula.

IX. Hermannus, quo sepulcro membra, eodem opera locavit, malens latere quam per ora nostra transire. Reliquit tamen censum perpetuum bis septem jugerorum, quem autem cum area una contulit Monasterio Virginum *Wolfsbusensi*, Præposito ejusdem id efflagitante.

X. Theodericus, dum se hinc moriens proripit, quæ gessit, in opere secum pariter tulit, nec quicquam reliquit, præter vocabulum nominis. Quod non *Theoderici* culpa, majorum nostrorum segnitia factum putatur.

XI. Hildebrandus nulli superiorum, quam *Ludoldo* similior, tantaque ferme, quanta *Ludoldus* coëmerat; forsitan etiam plura. Is utrarumque rerum, divinarum scilicet ac humanarum curam habens, & illa faciebat, & hæc non omisit.

De Divinis primum, mox de humanis commemorabimus. Diem Festum *Divæ Scholasticæ* Virginis, Sancti *Benedicti* sororis, item quoque *Divisionis Apostolorum* quotannis agi instituit. Ad horum diem celebrandum tres mansi, curia una duæque areæ data. Ad illius duodeviginti collata jugera. Item Missam singulis annis de Beata semper Virgine *Maria*, quam ob suam magnificentiam *auream* vocamus. Cujus institutionis formulam, quæ adhuc auctoris nomine extat, verbum ex verbo cordi est subicere, ut magis ac magis ejus Missæ Majestas appareat. Nos *Hildebrandus* &c. Item statuit in die animarum mandatum pauperum anniversario agendum, quo de ita ait: Dominus *Fridericus* &c. Fama quoque est, & Patres nostri adhuc in humanis degentes affirmant, se ita usque ad reformationis diem factitasse; eum ipsum *Hildebrandum* condidisse quotidianam trium pauperum lotionem per Adventum Domini, per quadragesimale jejunium. Quod mandatum neque nunc servamus, neque usquam scriptum invenio. Hæc fere habui, quæ de Divinis dicerem. Nunc de humanis breviter. Sancto Godehardo emisse invenio, perpetua hæreditate, (ut & ea quæ jam dicta sunt, si credimus dicentibus,) tres curias, octo jugera, mansos bis septem, novem areas, censum XII solidorum, medietatem molendini, sylvam caduam, bis centum triginta quinque & dimidia marcis argenti puri. (Reliqua, quæ emit, prætereo.) Dives est, non qui aurum habet, sed qui spernit: qui aurum erogat, non qui servat. Dicite, o avari, in cista quid facit aurum? Præstat abscondi in sinum pauperis, ut ipse oret pro te. *Hildebrandus* emulsam cista aurum servis Christi donavit.

Sub hoc ipsum tempus Cisterciensis Ordo, Ordinis nostri filius, oblitus pietatis in parentes, Cœnobiū nostrum, ut situ amœnissimum, Romæ impetravit in locum *Unipersalis Studii*. Hildebrandus ubi comperit id, sibi haut integrum fore existimans, ad resistendum se comparat. Cistercienses pergunt incepta exsequi. Veniunt, intrant, locum possidere volunt. At Hildebrandus jam pridem hæc sentiens, conductis militibus illos expellit. Propulsantur, pedem referunt, non sunt reversi. Magni animi & impavido corde Virum, qui non timuit pro libertate Ecclesiæ suæ ferrum arcumque corripere. Extat Hildebrandi plena epistola querelarum contra Cistercienses ad Abbates Ordinis nostri, in qua illos communes hostes appellat, se pro virili parte certavisse demonstrat, auxilium Patrum implorat. Hucusque progressus, haudquaquam invenire poteram, quo sub Abbate Sanctæ rigor Regulæ refederat. Hic vero invenio, idque non obscure, & Abbatis bona seorsum, & seorsum fratrum. Verum id minus est, quam ut rem probare possit, cum jure Pontificio licitum sit. Neque fidem astruit bipedalis carunculæ comestio, sed abjecta paupertas. Suum cujusque peculium à via recti prodit declinatum. Ob eam, reor, rem, quod per devia quæque ibatur, Cistercienses captata occasione Monasterium nobis nostrum, tanquam injustis possessio-ribus, fuisse erepturos.

XII. *Eilardi* nomen inter cæteros clarum habetur, nec de ejus laude conticescendum est. Contemptor & ipse divitiarum extitit. Auri sacram famem rejecit. Terram auro maluit. Pro auro terram mutavit. Nam terrarum bis triginta jugera, mansos decem, præterea curtem unam cum duabus curiis perpetuo possidenda à nobis, emisse perhibetur, non minoris, quam centum octoginta octo marcis.

XIII. *Eilardo* mortuo *Walterus* successor efficitur, qui Divi Godehardi Ecclesiæ nostri Patroni captus amore, caput ejus Sanctissimum revinxit Episcopali mitra, quæ ex auro argentoque ac lapidibus pretiosis mirandum in modum refulget. Plerasque Monasterii possessiones ab jugo servitutis vel prece vel pretio in libertatem vindicavit. Decimam villæ cujusdam, per N. feudi nomine temerè alienatam, post multos sudores reduxit. Hic etiam, metiens vires Monasterii sui, certum fratrum numerum, duorum & viginti statuit, quos ultra citrave nolebatur, *Ottone* Episcopo confirmante.

XIV. *Burchardi* tempora infelicia infaustaque fuere, cum horrendissimum schisma, quale nunquam antea Ecclesiam Hildenesheimensem pervasit, implicitum secum trahens Monasterium nostrum, perpetuorum damno. Alto à sanguine erant duo, *Hinricus* Brunswicensium Dux, *Scœnburgenfis* Comes *Ericus*. Hi ob Ecclesiam Hildenesheimensem de vita & sanguine diu certaverunt; illiusque apparebat Ecclesia futura, non qui jure, sed armis plus valisset. *Ericus*, cujus esset Ecclesia Pontificis Maximi gratia, Divi Michaelis Monasterium habitans, fugatis iis omnibus, qui *Hinrico* favebant, adjutrice utitur urbe. *Henricus* tantummodo electionis jus prætendens, à Romano Pontifice extra Ecclesiam factus, armorum potentia magis confidit. Hac populi Clerique infania capta duo Monasteria, *Sancti Michaelis* ac *Divi Godehardi*, non minores simultates primo, mox odia alunt. Utrius factionis esset Abbas, huic contrarius conventus; nec Abbatibus inter se, nec duobus Conventibus inter se conveniebat. Bellum hoc intestinum atque civile, diuturnum, anceps, atrox fuit. Hildenesheimenses oppidum *Dammonem*, (ea fuit civitas juxta muros Hildenesheim *Hinrici* factionis) nocte ipsa qua Christus in lucem prodiit, captum diruunt, diripiunt, evertunt. *Hinrico* non defuit ultio. Facit, quod potest; *Indrestam* fluvium derivat, aquam molentibus aufert. Vastationem oppidi majore hominum strage ulciscitur. Utrique atrox prælium in campo committunt, in quo *Hinricus* victor, ex Hildenesheimensibus alios ferro obruncat, alios aqua præfocat, exstinguit; ducit alios secum captivos, quos eo miseriarum perduxit, ut pro resarciendis deleti oppidi damnis *Castrum Mariæ* ædificarent. Nec est domus in omni civitate, exceptis Clericorum & paucorum aliorum, huic Castro tributum quotannis quæ non pendeat: Tantum pœnarum *Hinrico* dedere, dant hodieque. Horum idcirco mentionem facere dignum duxi, ut dicerem, ea tempestate Monasterium nostrum ad inopiam redactum, (impio favente Mavorte) ab *Hinrico* (præter Abbatem) altum, cibos ad vescendum accepisse: in ejus rei repensationem, partem agrorum Monasterii nostri Castro Mariæ datam, vel perpetuo vel ad præfinitum tempus, quod magis credo, nec dum recuperatam.

XV. *Walterus* mortuo *Burchardo* Abbatiam accepit regendam: quo Abbate facta esse plerique affirmant, quæ in *Burchardo* jam dixi.

XVI. *Theoderico*, qui in privata vita satis modestus extitit, cum esset factus major, visum est, bonum Dominum ac Magistrum ostendere, non etiam Patrem; vultus minaces, verba plena irarum; in virga ferrea regnare: & nesciebat, errare eos, qui imperium stabilius credunt, vi quod sit, quam quod amicitia conjungitur. Sed majore favitia quam in alios favire destinaverat, in eo favitum est. Offenderat Prior Abbatem, reluctans ineptiis ejus. Qui quasi accepta permotus injuria, Priorem teneri ac in carcerem rapi jussit. At Prior de impendente periculo certior factus aufugit, seque ad amicos ac cognatos recepit. *Theodericus* veritus, ne contra se consanguineorum vires concitaret, à persecutione ejus cessavit. Usque adeo tamen ea discordia deserviit, ut Episcopus, Abbati infensissimus, Abbatiam com-

pilaret ac diriperet; nec relinqueret quicquam ex omni suppellectile Abbatis; præter parvulam mensam & pilacem. Disce parcere subjectis, ut subjectus ipse parcaris. Dilcat, ait in regula de Abbate, plus amari, quam timeri. Quem timeas, odis, quem oderis, perisse cupis. Quæ dementia potest esse major, quam super hos, qui te, quantus es, fecerunt, tyrannidem exercere; contemnere, rejicere, persequi sine justa causa, qui te sublimem magnum, gloriosum; ex humili abjectissimaque constitutione, Principem te constituerunt. Inquit, esto, quasi unus ex illis. Quid profuerat, pauco tempore innocentem esse, si deinceps iniquus sis? Neronem omnium Cæsarum impudentissimum quinquennio factis modestum fuisse; deinde in omnem nequitiam prolapsum subjectisque intolerandum, memoriæ traditum est: contra vero Ulpium, amicis carpentibus, quod nimium communis esset erga omnes, respondisse: Imperatorem eum esse debere erga subiectos, quem erga se Imperatorem optaret ipse privatus.

Theodericus, quamquam is erat, ut timeri magis, quam amari satageret, & nomen potentis Domini, quam pii Patris libentius audiret: fuit tamen sollicitus Monasterii sui, idque, quanta maxima potuit, utilitate, honore ac gloria dilatavit. Nam & usum Episcopalis mitræ cum reliquis insignibus tam sibi quam futuris, & confirmationem omnium Monasterii privilegiorum ab *Urbano Quinto* accepit, & manfos tres L. marcis comparavit, & adversus Plebanum Ecclesiæ Sancti *Nicolai*, quæ nostra est jure Patronatus, de eadem Ecclesia triumphavit, non tamen sine partium concordia, cujus concordia formula adhuc extat, ita ajens inter cætera: Plebanus hospitem & hospitam per Brulonem non armabit, nec extremam unctionem dabit, sed *Sacrista* Monasterii Sancti *Godehardi*, ipso præfente, præmissa faciet; nec de talibus aliquid Plebanus percipiet, sed *Sacrista* prædictus singula percipienda de talibus percipiet, juxta morem antiquum & ultra, usque præscripta omnia & singula.

XVII. Arnoldus sive quieturus in otio, sive cedens digniori, sive ævo gravior, quod magis credo, dura pastoris onera ante mortem abjecit.

XVIII. Hinricus Piperis facci, patria Hildenesheimensis, de domo ac familia *Peppersaccorum*, non est minima pars Abbatum nostrorum, multis par, multis præclarior, nulli ne minima quidem in re concedens, cæteris major potius quam inferior. De quo ego forte brevius dicturus sum, quam meritis esset. Hic Monasterium nostrum, usque ad illud temporis pene informe, formam induit elegantior, murum dormitorii nostri, magnis utrimque impensis duobus circiter cubitis altius erectum: desuper illud tectum composuit, deque humili dormitorio fecit augustissimum. Atrium, quod ipse à fundamentis novum extruxerat, qua domo domus non erat tum magis egregia apud nos altera; haut impar cuilibet Regali palatio, varia ac venustissima exornavit pictura. Cujus profecto tam pulchræ aula, quia in alios versa usus est, desinitque; pene esse, quod fuerat, facitque ne Hinricum merita laude privemus, decus atque picturæ gloriam, in animo est, paucis attingere. Omnis vetustas sexus utriusque, gentiles intellige; quæ de Christo prophetaverat, turba Philosophorum, astrorumque; periti cum Sybillis omnibus, domum illam inhabitant, suis de Christo cum oraculis. Nec deest Poëtica illustratio: Pelignæ gentis gloria, cum Mantuano Vate in medio posita. Ille Musis comitatus cantat peramœnè; hic Sibyllinis versibus carmen fingit Bucolicum. Et Balaam ariolus, cujus lingua in maledictionem plebis Judaicæ personabat, dormienti similis recubans super ostium, medius vatum ac Procerum Stellam denunciat orientem. Sequuntur deinde longo ordine alii quam plurimi. Nec nostri longe absunt Viri Sancti, canentes alius aliud. Ibi, (ut nichil præteream,) etiam leoninum certamen adversus, nescio quam, immanem bestiam. Jam vero, antequam eas intro, videas alios Cæsares, alios Judas Machabæos quosdam Jhesus filios Nun, ac fortissimos quosque viros, instructos suis quemque armis, ac ad prælium ita expeditos, ut aspectu ipso hostem in fugam vertere possint. Multa hujusmodi egregia facta alia memoriæ prodita sunt, inter quæ illud excellentissimum est, quod præter monstrantias calicesque aureos, item vestes Sacerdotales, & cæteram de Dalmatia tunicam, auro omnia intertexta, *tricens nobis aureos* annuè fecit, argenti puri CL marcis. Pro quo auro missam cottidianam instituit, apud nos ut sit. Monstrantiam quoque, quam ipse dedisset, per summam Missam diebus singulis in altario locari cum lumine mandavit, ut nunc sit. Ecclesiam quoque *Gizensem*, cujus Patronatum ab *Ludoldo* emptum supra retulimus, misso Romam cum pecunia Legato, Monasterio, ut vocant, incorporavit. Omnia quæ dedit, rhinocerata bestia indicat. Ubiubi monocerotem videris, Hinricum cogita Piperisfaci. Hinricus, posteaquam de Divo Godehardo bene meritus, & rem Abbatialem tum rite gubernando, tum opibus ampliando cunctis est gratus & honorandus: transit ad Monasterium *Sancti Michaelis*, mortuo Abbate, ut dignus Abbatia majore. Ibi non plus anno degens, [Anno M CCCCIII] diem vidit extremum.

XIX. Hinricus cognomine *de Godelem*, cujus Mater Corbeja est. *Corbeja* illa *Saxonia* olim formosa, nunc sine forma, olim aurea, nunc lutea. Is antea Præpositus Corbejenfis, & consilio Achitophelem, & majestate corporis Saulem præferebat. Majestas corporis & prudentia pene paria. Itaque haud facile dixeris, major fuerit corpore an consilio. In Capitulo majoris in Hildenesheim Ecclesiæ, ubi de rebus terræ dubiis, de nostraque republica fieret

con:

consultatio, primus & novissimus ac unus pene omnium, quo sine consultabatur nichil. De ore ejus omnes pendere; quo loquente, arrectis auribus astare: illo veniente filescere, consilium omne fuit. Namque cum prudentia eloquentissimus, & eloquentia prudentissimus. Neutrum sine altero valet. Utrumque eget altero. In statura vero corporis sic procerus, sic in sublime raptatus, sic quasi nubes vertice tangens, ut, sicut ait de venatrice nobilis Vates,

-- -- Gradiens supereminet omnes.

Est locus in nostra Ecclesia concavus atq; cavus supra fores parte in australi, qua transire solebat. Huc pecuniam, (ea *praesentia* vulgo dicitur,) solitus congerere, stipem postea egenis, omnis furis securus. Nam ille ipse locus (mirabere si videas) cunctis praeter Hinricum inaccessus, adeo est a terra elevatus. Major fuit maximis, ac maximi cum ipso compositi minimi; cumque esset nemini homini comparandus, voluit esse major. Perhibent Patres nostri, visio forsitan praelongo homine, solitum dicere ad puerum, qui pone sequeretur: Da, Henrice, (id illi nomen,) ligneos pedes, quos ea de causa bajulabat, ut ego quoque vir appaream. Nonne vides, ut ille major me esse vult. Stulta proflus infania de corporis gloriari elegantia: nec respectanda semper corporis quantitas, in qua plerumque & plus ignaviae & animi minus. Apis parvum animal, ingentem animum Augusto in pectore versat. Referunt, (ut erat Vir prudens) in posterum quam longissime provisorem, optima quaque tempori reservare solere. Proxime Monasterium nostrum locus jacet, (palus huic nomen inditum) arboribus confitus, salice, alno foecundus ac fraxino, stratus multo suave olenti gramine; quo saepe solemus commeari recreandi gratia; quo de ligna cadere vetare solitus, futurum dictitans, quando magis necessaria forent. Nec falsus Vates. Nam longo post tempore *Bertramus* atque *Henningus* Abbates sylvam ferro interdictam caedam fecere, ille necessitate pariter ac utilitate, hic utilitate magis adductus. Nonnulli, quid de post se futuris fiat, parum curant, dummodo sibi in praesentiarum consulant. Cuncta devastare, atque in suam ipsius libidinem convertere magnopere ardent. Dementes; qui, quod ipsi non congregaverunt, dispergere volunt. Hoc faciunt nequam, stulti, non prudentes, quorum est proprium in posterum quam longissime providere. Relinqui futuris, ut tibi relictum.

XX. *Helmoldus* Hinrico pone subit, dignus per omnia & ipse, cujus memoria ad posterum referatur. Dignior esset tamen, si per ostium, non aliunde intrasset; si non possidisset agrum Domini de mercede iniquitatis, Simone autore. Tradunt, posteaquam excesserat de vita *Hinricus de Godelem*, affines *Helmoldi* dono dedisse Episcopo & re & nomine *Magno* centum nummos aureos, ac orasse, *Helmoldum* submitteret eligi Abbatem. *Magnum* vero, juxta Sapientis elogium, pecuniae omnia obediunt, promississe facturum sese. Fuisse per idem tempus *Johannem* dictum *Kanolphum* Sacerdotem, Ecclesiae Majoris Vicarium, apud *Magnum* potentem quarumvis rerum, utque cognomine ita re quoque mirabilem. De quo est vetus proverbium: Quicquid agitur, *Kanolphus* interesse vult. Huic ab *Magno* negotium datum videtur, ut *Helmoldus* Abbas eligeretur. Ivisse per singulos ac unoquoque manu leniter tacto aisse: Eligatis *Helmoldum*, eligatis *Helmoldum*. Fratres Electores, qui *Episcopum* tum magis, quam nunc, quantum ad eam rem *crinet*, timerent, *Kanolphi*que potentiam verentes, *Helmoldum* sibi Abbatem delegisse. Hocque pacto creatum Abbatem. Quid non, inquit,

-- -- Mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Verum, quia facti deinde poenitens, misso Romam de absolutione legato, veniam meruit: interim excusamus. Fuit autem ei patria *Hanover*: Parentes honesti ac satis felices rerum temporalium. Cupidus gloriolae, sitiens laudis, altioris semper appetens, videri ab hominibus quarebat. *Hinricus Piperisacci*, cujus supra memini, profectus ad Sanctum Michaelem, quo erat hinc assumptus, *Helmoldum* secum abductum (quod rebus gerendis perquam idoneus) construendorum Praepositum facit. Erat mos vetus, ut semel in anno singuli quique Administratores negotiorum Monasterii referrent expensum tum Abbati, tum ceteris, ac darent Abbati quisque sexaginta nummos, *Brunsvicensis* vocant. *Hinricus Pepperlack* jam fatum suum obierat. *Helmoldus* priusquam dies rationis reddendae adveniret, ab sua sorore, (ea *Hildenesheimii* apud Sorores Deo dicata habitabat) pecuniam mutuum accepit, sexagenos aureos, quos, ubi tempus advenerat, in frequentia cunctorum, studio laudis vehementer afflatus aucupaturusque rumusculos, Abbati in mensam projecit, cunctis stupentibus pra admiratione. Ille *Helmoldi* donis & tanto laetis honore, multo laetiore manu, quam hic projecisset, eos ad se tractos oculis mandat. Id alii mirari, & se inglorios dicere esse. Eleganter quidem ac veredictum est: Trahimur omnes studio laudis. Magni ea laus est empti ab *Helmoldo*. Sed laudis illa dulcedine comparata, haud longe post, laudis pecuniam reposcit, eo quod simulato emisisset: quam Abbas reddere recusat. Ea de re, quamvis omnibus amicis ac cognatis fretus, vix mentitos nummos recepit. Sicque didicit, vanam tanti laudem non esse emendam. Creatus vero Abbas eum se gessit, ut ab omnibus amaretur, nobilibus ac ignobili-

bus, suisque & alienis. Comis atque affabilis, quæ duo validissima sunt ad conciliandos animos. Joco plerumque gaudens ac risu. In tempore & filios Illustrum Virorum terra nostra, parvos adhuc pueros, quos ipse enutrit ac educavit, sæpe gregem porcorum pascere per jocum coëgit, sæpe eosdem fures vaccarum appellabat. Sciebat, id genus hominum ejusmodi esse, filiosque forsitan non degenerare à parentibus. Perliberalis, clemens, benignus; statum fere semper & ubique magnificum tenuit. Convivia celebravit opipara; plerumque etiam ad multam noctem cœnitabat cum nostra Nobilitate, quæ tum die æque ac nocte ingredi Monasterium potuere, etiam cum equis. Equitare ipse solitus tribus sonipedibus, nonnunquam lorica contextam hamis circum amictus pelle sub lupina. Ædificavit egregiè aulam, superiorem nos quam vocamus; Murum per gyrum Monasterii, itemque alterum cimiterium à pomario separantem, haut exiguo sumptu. Ipse Abbatem bina corona arte laborata, auroque superbo & multo margarito renitente, acupictura venustissima ac formosissime decorata quasi Aaronem exornat; pedo pastoralis, item auro argentoque fulgentissimo, quem medium supra dracontea pervadit bestia, sustentat. Quid ultra? Ut tum erat tempus, (erat autem tempus alio pacto vivendi, quam nunc est,) vir fuit sane laudabilis, & cui ob meritum amplissimas gratias habemus. Reliqua, quæ dedit, tres asperioli, indicant nuces frangentes. Id illius insigne est. Et fuit in Viro mira quædam dicendi adulatoria svavitas, vafrum ingenium & simulandi & disimulandi peritum, ita ut haut facile discerneres, quid magis vellet. Sed hæc eum edocuit, ut reor, nova illa Monasteriorum reformatio, quæ infueto haud grata fuit. Nec erat quisquam tam prudens tamve potens, qui (reformato jam Monasterio Sancti Michaelis) in nostrum Monasterium invectare reformationem ipsam potuerat: non hoc in circuitu Abbates, non intus Ecclesiarum atque Monasteriorum Rectores, non ipse *Cusanus* denique, quanquam id *Herbipoli* juravisset *Helmoldus* in frequentia Capituli Provincialis, præsentè *Cusano*. Ita arte quadam egit, nunc de reformatione Patres (si quando ad Sancti Michaelis advenissent) invisens ipse, benignæque salutationis (verbum) ac honorarium eis vinum mittens, nunc se quasi unum ex illis gerens, nunc Capitula adiens Provincialia, ut putaretur ab rerum imperitis aut jam reformati aut jamjamque reformandi. Sic ille callide astutus reformationem ipsam sæpe delusit. Innumeras Patrum constitutiones pertaxum, reformationis non amantem ferunt. Difficile est vetera derelinquere, & quo semel imbuta sis, non sentire odorem. Prius undæ flamma fieri possent, quam *Helmoldus* reformetur.

XXI. *Hinricus* primum Sancti Michaelis in *Hildenesheim* Abbas, fuit non mediocri, at nobili ortus loco, de *Woltorp* cognominatus, cujus genus atque cognatio nostra demum ætate tota sine nomine defecit moriendo, functo vita *Hermanno* fratre, cum filiis *Hinrico* natu majore ac *Frederico*, & filia, florentissima adhuc ætate, cum matre *Catharina* superstitibus. Erat autem *Hinricus* homo rusticior ac sine literis, profum ignarus Latini sermonis, non valens proferre orationem ne unam quidem Latine. Quæ etiam res haut parva, ut ajunt, occasio fuit Abbatia abdicanda Sancti Michaelis. Sub idem tempus *Nicolaus Cusanus*, Presbyter, Cardinalis, noster tamen *Alemannus*, Vir incredibili prudentia eruditioneque & doctrina, cujus elegantis ingenii haud contemnenda extant opuscula, Legatum Apostolicum per Germaniam agebat. Is *Hildenesheim* veniens, postquam acceperat & hunc *Hinricum*, & quendam Monachum Sancti *Egidii* in *Brunswik* de Abbatia Divi Michaelis contententes, (nam utriusque à partibus fuerant electi) *Hinricum* astutia quorundam, (ut plerumque fit) intrusum, ac propterea (æmulo exturbato) sese tanquam vere Abbatem gerentem: de nescio qua re compellat sermone Romano. *Hinricus* id tantum sciens, quod didicisset, respondet Teutonico. Id, ut æquum erat, haut æquo animo ferens, *Nicolaus* jubet, ut loquatur Latine. Quod cum non posset, confusionemque non ferens suam, ab conspectu ejus se abripuit. Tum *Nicolaus* hominis simplicitatem miratus, rusticam vero magis, (ut ita dicam,) intrusionem succensens, simulque occasione lætus nacta Sancti Michaelis reformandi, de *Hinrico* deiciendo consilium capit. Noluitque id facere vi, honorem tribuens illius à Pontifice Maximo confirmationi. Misisse enim Romam traditur, confirmationis gratia, ingentem pecuniæ vim, fuisseque eam pecuniæ & æs alienum, quod grande conflaverat adnitentibus quibusdam reformationem exosam habentibus, bis duum millium nummum aureorum, quo deinde sub fasce Monasterium sæpe ruisse. Cum igitur Cardinalis, ut dixi, in deiciendo *Hinrico* vi agere nolisset, (quanquam id forte facile erat,) amice cum eo agit, ac quasi nudato orat ense virum, Magistratu abdicet ipse se. Obtemperat Abbas, jure cedit suo, promissis tamen sibi quotannis sexagenis aureis, & plus eo. Deinde paucis post tempore, defuncto *Helmoldo*, Abbas fit noster ex *Exabbate*, nichilque dignum ab eo factum memoratu invenio, præterquam, quod in diebus ejus Monasterium nostrum, eo licet invito, reformatur utcunque, & quod moriens in reformatione perseverare admonuerit. Siqua adhuc sunt alia, tum aperiemus, cum de reformatione Monasterii nostri tractabimus.

Finit primus Liber.

Inci-

Incipit prologus in secundum librum.

Hic gradum consistere consilium fuit, Abbatibusque universis, a prima Monasterii origine ad reformationem usque deductis, novum librum inchoare, ut vitam novam novus liber loquatur. Perfecto igitur priore libro, quem pluribus ex partibus unum confecimus, aggredimur alterum de reformatione ipsa, deq; reformationis Abbatibus cudendū. Secundo libro nichil opus erat, cum præsertim id simili in re raro admodum viderim. Sed quia novam ferme rem, ut dixi, facturus sum, haut ab re visum est, novæ rei novum dare librum; liceatque michi mea uti opinione, quemadmodum aliis sua. Quot homines, ait ille, tot sensus. Suus cuique mos est. Sed priusquam de Monasterii nostri reformatione ejusdemque Abbatibus, (quam ipsius solius, esse satis nostro instituto videatur) dicemus; pauca, (quoniam sic Heynemann cogis,) de fonte atque origine reformationis Germaniæ pene omnis Ordinis, maxime nostri, recensenda sunt, ut id, de quo sermo institutus est, magis ac magis in aperto sit.

Finit Prologus Libri secundi.

I. De ortu reformationis, qua Bursfeldensis appellatur.

Ortus reformationis Bursfeldensis neque perditus fuit, neque valde procul quærendus est. Proxime nos est, in Episcopo Hildenesheimensi. *Album Castrum* vocatum, Monasterium Canonorum Regularium. E fonte alieno nostræ reformationis rivuli derivati. *Album Castrum* fons est proximus, rivus *Clusa*, secundus *Campus rusticorum*, id est *Bursfeldia*, utrumque nostri Ordinis, hoc in diœcesi Moguntiaca, illud in Hildenesheimensi, ambo in Saxonia. Itaque quoniam *Clusa* reformationis primum, *Clusenses* rectius denominandi essemus, non Bursfeldenses, quod est ordine secundum. Jam illud nomen amisit, istud retinet, ordine præpostero, secundo in primum commutato, quemadmodum suo loco dicemus.

Gerhardus Magnus erat Vir juxta nomen suum magnus atque doctissimus, Theologiæ Professor, Daventriensis patriam, cujus Divinum ingenium atque doctrinam in libris, quos edidit, nosse licet. Auctor vitæ de communi vita Clericorum. Hic simul ac hunc vivendi ordinem condiderat *Daventria*, (ea est civitas veteris Saxonix opulenta,) *Windesem*, Monasterium Canonorum Regularium ultima voluntate petierat ædificari. Post mortem plerique missi sunt ex discipulis ejus ad regulam Divi Augustini diversaturi. Quo, ubi venerunt, vitam Canonorum assumerunt, sine justæ causæ querelæ viventes. Post *Windesem* fundatur *Northorn* observantiæ ejusdem in Diœcesi Monasteriensi, *Ottone* Episcopo, qui fuit frater *Johannis* Episcopi Hildenesheimensis *de Hoja*, assentiente. Ex *Northorn* de observantia *Windesemensi* reformationem capit *Wittenborch*. *Wittenborch* primò non Regularium Canonorum fuit. Septem ibi inclusi habitare soliti usque in eum diem, quo Clementinæ divulgatæ fuerunt contra Bachardos atque Beginas. Tunc (quia & ipsi sine probata aliqua regula vitam visum sunt ducere religiosam,) metuentes eisdem maledictis innodari, consilio Decani *Montis Sancti Mauricii*, Canonici fiunt Regulares ex solitariis, Priore semper manente incluso ob primam loci institutionem. In qua vita cum aliquamdiu progressi fuissent, tandem à semita recti aberrantes, viam Sanctæ Regulæ corruerunt, inobedientes, impudici, proprietarii facti. Dum sic vivitur, & in talibus vita eorum; interim *Windesemensis* reformationis redolentissimus odor longe jam lateque diffusus ad eos usque penetravit: ibi recte vivi, ibi ad Sanctæ conversationis normam ambulari, ibi salutem animarum operari. Itaque Spiritu Dei affecti intrinsecus ad cor redeunt, ac ultro, nemine post Deum adhortante, ad Capitulum Generale mittunt, seque suumque Monasterium uniri cum illorum orantes. Priori in *Northorn* negotium datum. Qui, ut paucis agam, unitione facta, *Rembertum*, domus suæ Professum, Priorem illis constituit.

II. Ab hoc Monasterio *Wittenborch* diversorum Ordinum sexuumque in Saxonia, egressa reformatio est. Et quidem aliorum nostrâ ad præsens nichil interest: De nostrorum prosequendum. Igitur supra memoratus *Rembertus de Northorn* Prior in *Wittenborch*, ac *Johannes de Northorn* nostri Ordinis, à Concilio *Basiliensi* potestate accepta reformandorum Monasteriorum utriusque sui ordinis, compellendique invitos ad observantiam regularem, simul per censuras Ecclesiasticas simul potentia brachii secularis: primum omnium ex Ordine nostro *Clusam* reformare accingitur, coram assistente Duce *Brunswicensi Ottone Monoculo* regionis Domino; quia nemo facile reformatur nisi coactus à vi majore. Abbas vero *Clusensis*, cum ab his de reformando accepit, & factò & sermone repugnavit, neque Prioris, neque Ducis dicto obedivit. *Rembertus* Abbatem ubi cernit male pertinacem, Ducalem Potestatem adhortaturprehendere virum, atque in vincula duci jubere. Dux percunctatione facta, liceretne sibi manum mittere in Christum Domini, responsioneque reddita, licere auctoritate Concilii *Basiliensis*, propius se conferens ad Abbatem, duorum Vobis, inquit, optio datur: aut reformationem accipite, aut in carcerem meum abite. Utrum mavultis, sumite, & dum licet adhuc, vobis

ipse consulite. At ille, furda cuncta aure transiens, neque audiens vocem incantantis sapienter, perinde territantem atque admonentem, avertitur. Ducitur ergo in carcerem, neque inde eximitur, quam Abbatiatui cessum est. *Johannes de Northem* in depositi loco suffectus. Reformatio ipsa novaque vita illuc introlata, eaque ad hanc usque diem nichil imminuta.

III. *Clusa* reformato, quanquam mediocrem rem actam arbitrere, jaeta sunt fundamenta reliquorum. Nam aliquanto post *Johannes Abbas in Clusa translatus est Bursfeldiam*, idque ad plenum reformat. Ex hoc deinceps caetera reformata. Nam *Johannes de Northem*, (quo *Clusa Bursfeldiam* translato, *Bursfeldenses* denique dicimur non *Clusenses*.) posteaquam è vita migravit, *Johannem Hagen* successorem relinquit. Hunc ajunt, ante ingressum Ordinis insignem Cortisanum magnæque opinionis virum, tum in Romana Curia, tum apud nos fuisse: denique Canonicum *Cartalli* in *Hildenesheim*. Spretis vero omnibus *Bursfeldiæ* Monachum induisse, ac *Johanni de Northem* sese in disciplinam dedisse, ejusque ipsius consilio Abbatem delectum; devotum, prudentem, religiosum, rectum Zelum animabus lucrandis habentem; Principibus terrarum, Episcopis, Ducibus, Comitibus, Universitatibus, Ecclesiis Cathedralibus dilectum ac notum. Plurimos tam verbo, quam suæ exemplo vitæ ad meliora traduxisse; Monasteriorum nostrorum Reformatorem præstantissimum, eorum haud pauca reformasse; sedecim postea Abbates, vigintique Priores ex his, quos ipse Monachos fecisset, ad alia Monasteria reformanda è *Bursfeldia* emissos: Sensim deinde atque paulatim magnam Germaniæ partem *Bursfeldensi* reformatione impletam, utramque Saxoniam, Thuringiam, Misniam, Hassiam, Franconiam: civitates quoque, quas appellant *Stagnales*, & ipsam Galliam Belgicam. Sed de his reor ad præsens satis. Nunc vado ad Monasterium nostrum.

IV. Anno Domini MCCCC LXX. Capitulum Provinciale *Herbipoli* celebratur. Eo *Nicolaus Cufanus* ipse accedens hortatur, mandando Patres eodem advolare omnes: esse, quæ velit agere cum eis. Illos inter noster quoque *Helmoldus* eo ipso tempore Abbas advenit. *Cufanus* conventu Patrum coacto, de reformandis Monasteriis *Divi Benedicti* Ordinis sermonem habet, ac singulum quemque sacramento adigit, reformationem suscipere ipsam. Eam itidem rem *Helmoldus* juratus promittit. At is ubi rediit, Punica fide cuncta servavit. Venit deinde *Nicolaus Hildenesheim*, ibique, ut par erat, excipitur perquam magnificè. Post ubi celeberrima quæque civitatis loca inviserat, nostra quoque domus haut indigna tanto Viro visa est, quam visiteret. Itaque comitante Præposito majore, multis quoque populorum, catervis, quæ ad spectaculum viri convenissent, obseptus, pergit ire. Priusquam cimiterii cratibus propinquat, fit obviam *Helmoldus* antecuntibus vexillis, sonantibus campanis omnibus, concinentibus fratribus: Deum time &c. Transeuntem Cardinalem *Helmoldus* Abbas Priorque medium ire faciunt, ac in Ecclesiam perducunt. Ubi ventum in Ecclesiam est, ultra ducitur ad Altarium summum. Ibi flexo genu, demissis in cathedram Abbatis ad id paulo ante apparatus cubitis, Sancti *Godehardi* caput versus, (illud enim in altari positum) Deo immortalis gratias agit: deinde assurgens populo benedicit, inq; caput Sancti *Godehardi* oscula figit. Petitur mox Capitulum. Ibi verbum faciens, ad Abbatem ac caeteros fratres: Vos ego hortor, inquit, ac peto, immo jubeo atque impero, ut juxta Sanctam Sancti *Benedicti* Regulam vivatis. Quæ verba velut tuba protulisse perhibetur. Nec hæc satis illi videntur, nisi etiam singuli quique se ita factum ire, jurejurando sponderent. Quo factum itur ad humanitatis officia. Onerantur mensæ dapibus miris, electuarioque vario ac multo, lætitiæque Dei. Dum hæc geruntur, Sancti *Michaelis* reformatur ejusdem *Nicolai* prudentia auctoritateque. Ipsum ipsa re, nostrum sola promissione. *Helmoldi* artibus nemo potest æquari. Usque ad exitum vitæ, ut voluit ipse, non ut *Cufanus* fecit.

V. Quo mortuo tandem vero metus ingens nostros incessit, ne tanto Viro amisso aliquando pareretur, quod jam diu erat parturiturum. Quare capto, (ut in re trepida solet) ex tempore consilio, defunctum clam sepeliunt, ac confestim ad novi electionem Abbatis procedunt, *Hinricumque de Woltorp*, quem Abbatem Sancti *Michaelis* à *Cufano* depositum supra retulimus, Abbatem sibi deligunt. Ac prius pene novus Abbas electus est, quam mortui fama audita. *Hinricus*, electione de se facta audita, haut gravate consentit. At vero *Ernestus* *Hildenesheimensis* Episcopus Præpositusque major, ac *Johannes Hagen* *Bursfeldensis* Abbas, (qui ipsi antea quoque nequicquam sæpe conati sunt Monasterium nostrum reformare) eam electionem iniquissimo animo ferre, ac se præventos in eligendo queri. Nam mane ejus diei, quo noctu sepultura datus *Helmoldus* est, missus ab *Ernesto* Præpositus & nonnulli alii electionis prohibendæ gratia; audita novi Abbatis electione, retro pedem retulere. Sic quoque magis Deus distulit quam avertit imminentem reformationem, sive quia nec dum completa esset malitia eorum, seu quia melioribus servarentur fati. *Ernestus* vero, ac major Præpositus, ingenti ardentis Zelo Monasterii nostri reformandi, per sæpe id compluribus modis aliis aggressi. Nec dubitare Episcopalis Dignitas, modo per semet, modo per suos ministros Senatium *Hildenesheimensem* adire, (nam sine eo difficilis res videretur,) ac ad reformandum auxilium postulare. Denique diem dixit Episcopus, quo Monasterium visiteret.

Per-

Pergit, sequuntur quamplurimi viri, & scientia & vita juxta egregii, duoque Viri Consulares. Erunt una intro, Abbatem atque omnem quærunt congregationem, nec inveniunt. Quo diffugerint aut quibus in spelæis absconditi, qui percunctanti diceret, nemo unus repertus est. Nec tamen ea ipsa res, cujus ob causam ventum, tota vana fuit. Nam ex inferioribus fratribus quinque senisve vocatis, atque in conspectum venientibus, à Clusensi Abbate (is quoque aderat unà) factum verbum est, voluntasque Præfulis ac reliquorum stantium circum de reformando pronunciata. Egregia vero visitatio & pulcherrimo digna præconio, qua eos, quorum prope nichil interest, non illos, quorum permaximi interest, vitates.

VI. Posteaquam omnia alia nequicquam temptata, nichilque bene verteret, & vanis semper spebus reformatium delusa opera, & id non mirum, quod novum struas facilius, quam vetus reformes, Præful Ernestus aliam ingressus viam, communicato prius cum præfidium reformationi pariter afferentibus consilio, Abbatem suosque complices excommunicationis mucrone trajecit, quoad in reformationem assentiantur. Nec eo vinculo prius eripuit, quam Senatus Hildenesheimensis fidem reformationis dedit, proque Abbate spondit. Tum demum fidem dante, ut dictum est, Consulatu, tam molesto levatus fasce est. At Hinricus miti satis ingenio, regi magis quam regere assuetus, ac propterea cereus flecti partem in alterutram, ab his, qui Capita Monasterii videbantur, vel metu vel assentatione seducitur, & potestatem Præfulis & gratiam fidei iustorum æq; oblitus, nichil minus, quam reformationem meditatur. *Durum genus reformationis, ne auribus quidem tolerandum, in ultimas terras deportandum, scitrum, servum, seroz, quod non multos modo, verum etiam alienos facit pati Dominos; alieno vivere arbitrio, qui proprio consueti; ex opulentis repente fieri inopes. Quid hoc rei? Facere commune, quod tuum est, & ita victitare, ut semper egenus ac pauper sis; & liberum te ultro mancipare duro carceri; semel tantum cedere, & perpetuo servum consistere?* En Sancti Michaelis, (si forte nescis) quo cum sæpe choreas duxisti, dixisti que carmina, quo cum conjunctissime amantissimeque vixisti, quo cum diesque noctesque ibas atque redibas, quo cum edebas, potabas, ludebas, quo redactum est? Omnia, quæ fuere licita, illicita facta, quæ rata, irrita, quæ concessa, revocata, alia pro aliis, (quamvis invitis,) imposita, aspera pro mitibus, amara pro suavibus, pro levibus intoleranda, mors denique pro vita. Adeone nos fatuos, ne dicam stultos, ut ex alieno periculo nostrum non videamus? Si cedimus, vincimur. Si vincimur, quid nobis reliqui est? Aut moriendum nobis denique aut vincendum est. Si moriendum, nec alia fata instant, moriamur, non ut desides, sed ut viri oppetamus mortem cum virtute. Quid tibi videtur? Tu quid boni sentis? Congregamini, conferte consilia, dicite nobis, quibus potissimum armis repugnare possimus? Juste, ait ille, movemur. Longa est injuria, dira, ac inhumana nostra miseria. Indigna afficimur contumeliâ. Conjuraverunt adversum nos omnes. Tædet me ignavia nostræ, qui si viri essemus, tam luculentam contumeliâ non pateremur. Agedum provocemus, mittamus ad Romana mœnia quæstum de injuria: adeamus Pontificem Optimum Maximum, ut nos defendat à Pontifice minore. Quod jus fasque non impetrat, cogat ipsa pecunia. Romæ enim omnia venalia esse. Ita invicem insanire calamitosa cohors, nec quo se verteret, scire. Hinc premente Præfule, hinc furis scelerum agitata.

VII. Inter hæc Ernestus Præful atque Præpositus tantummodo perseverantia opus rati, Præpositum in Sulza (*) Johannem Bush, inclytum Reformatorem, duosque ex ordine Consulatoria dignitatis viros ad Monasterium nostrum mittunt, iterum mentionem reformationis facturos. Qui ubi introgressi sunt, omne interius obseratum Monasterium inveniunt. Id sive consulto sive fortuito factum, parum compertum habeo. Alter Consul ubi videt negatum introitum, fores ita tundit & pulsat, ut Abbas ipse, nemine alio in conspectum prodeunte, januas patefecerit. Qui cum tantos viros vidisset stare præ foribus, detracto honore ac salutatione reddita, percunctatur, quid venerint? Sermonem Domini nostri Episcopi, Johannes Bush inquit, afferimus ad vos, & ad congregationem istam. Proinde oramus, cogite in unum omnes in domum Capitularem, ipseque pariter adeste. Faciam, ait Hinricus libenter. Fratribus coadunatis Johannes Bush in hunc ferme modum fertur locutus. Pro eo, Patres Conscripti, quod recusavistis exhortamenta, ne dicam imperia de reformando, Ernestus Præful auctoritate ordinaria excommunicationis vinculo omnes vos illigatos extra Ecclesiam fecit, eoque reduxit, spondente Senatu Hildenesheimensi, in potestatem Præfulis vos futuros. Proinde date silentium atque audite, & quæ dicam tradite memoriæ. Hæc dicit Dominus: Exiite veterem hominem atque reformamini. Regulam Sancti Benedicti, quicumque estis, quanti estis, jam nunc servare incipite, *tria Ordinis substantialia arripite, & quicquid ad vere Monachos pertinet, amplectimini. Præterea duos ex reformatis Monachos, & doctores & testes nove vite vestre assumite.* Hæc ubi dicta dedit, Senatum Hildenesheimensem eadem orare, major Consul dixit. Dein egressis his, Abbas ac reliquus grex confusurrant, conferunt sua quisque consilia, & quicquid unquam doli est ac fraudium, congerunt; pulcherrimamque confi.

(*) Sulza.

confictâ fallaciâ, revocatis Abbas ita respondet: Mirari se, cur comemorationem reformationis feceriat, nichil opus reformatione nova his, qui cunctorum, quorum meminerint, probantur veri observatores. Illos si verum fateri velint, clausum Monasterium invenisse. Id signum, omnia intra rite fieri; Ordinis substantialia se servare, proprii nil habere, quod singulorum fuerat, in medium reposuisse, castitatis se æmulos, obedientiæ filios. Siquid ultra vel Episcopus, vel ipsi voluerint, id non de corde puro, sed de invidia atque odio procedere, neque boni quicquam neque æqui habere. Major Consularis his auditis: bonum verbum, inquit; habemus quoque gratiam tam ob felix responsum. *Johannes Busb* altiori consilio vir, ut fallere ita falli nescius, perpulcrè fallaciam illorum callens, negat, verbis opus esse: prope diem id quidem sciri posse, quantum mentiti sint. Quin, si rectè locuti estis, adjungite, nobis duos e reformatione fratres, rectè conversationis testes. Bona conscientia testem non refugit. Quod cum *Hinricus* facere noluisse, rebus infectis discessum est.

VIII. Dum hic esset rerum status, supra memorati rursus venire. E quibus *Johannes Busb* Abbatem nomine Episcopi jurejurando cogit dicere veritatem, fratres utrum obedientiam professionemque fecissent. Qui sciens, aliter esse; antequam juraret, alloquium suorum petit. Interea dum illi ægre præstolantur, hi, quam nec dum fecerant obedientiam, præstant. Egreditur *Hinricus* Capitulo, de sancta obedientia paratum se jurare respondet. *Johannes* intellecta eorum astutia, Abbatis juramentum nolens, eò illos perpellit, ut quod in aure fecissent, facerent in propatulo. Rursum percontatur, si peculio abrenunciato, quæ fuerint cujusque propria, fecissent communia; nec Abbati cum suis colloqui cupienti abeundi comeatum concedit. Semel, ait, decepistis, non addetis amplius in præsentiarum. Fateantur, quæ sumus sciscitati. Non quivit effugere *Hinricus*, nec sic circuitione uti potuit, quin aperte, nil esse factum, deprehensum sit. Nam iidem adhuc, qui ante fuere. Quam rem duo Senatores, (quia dixerat *Hinricus* supra, cuncta in medio esse reposita) indignantissimè audire; & Abbatem tum Episcopum, tum Senatam *Hildenesheimensem* illulisse dicere.

IX. Sunt, qui ita dicant, excommunicatum Abbatem ac reliquum Monachorum gregem, provocasse ad Sedem Apostolicam; post appellationem, Præfulis contempta potestate, Divinis non abstinuisse; duos e suis, qui appellationis munera obirent, acceptis quadringentis aureis Romam ablegasse: illos antequam urbem ingrederentur, delituisse tempus trimestre *Parthenopoli*, ut socios bonos, quemadmodum in veteri proverbio est, epulantes, sprevisse crebras Monasterii legationes, quibus præcipiebatur, quamprimum cæptum iter explere; donec alii duo misli erant, quorum alter *Bertramus*, tum novitius, postea Abbas: qui celerare viam compulerunt. Interea dum Romæ essent, sui sollicitos, miserorum negligentes, in pulchris ædibus ducentes in bonis dies suos, novam indies pecuniam postulavisse, non tam ut agerent causam, quam ut opipare ederent atque potarent: deinde post aliquanto, cum prius sibimet providissent, voti compotes urbe remeasse, non huc, sed petisse *Corbeiam*, seu ob metum reformationis, seu pecuniæ ante diem absumptæ. Interea dum adhuc Romæ lites penderent, *Hinricum* Abbatem eo perpulsum, ut *Ernesto* Præfuli in cunctis assentiretur; *quadraginta ex auro nummos* pro solutione anathematis Episcopo datos; coactum promittere multa, conditionibus pœnisque adjectis, si promissis descivisset. Ea jurejurando firmata ac stabilita. Harum promissionum articuli hi sunt, *Hinricum* vitam suam institutum ire juxta Reformationem *Bursfeldensium*; Monasterium suum subjicere atque unire Capitulo annali patrum de observantia *Bursfeldensi*; quotiens opus sit, quem Priorem de reformatione Episcopus vellet, cum duobus suscepturum, illumque non deponere sine Præfuli; juxta admonitionem Prioris vitam suam emendare; subjectos discipulos, si aliter non possit, pœna cogere carceris ad regulam observandam; contra doctrinam admonitionemque Prioris nil agere neque opere neque sermone, neque occultum neque manifestum. Indultum Apostolicum nec procurare, nec uti procurato, nec uti alium finire; Gratiam Sedis Apostolicæ adversus reformationem etiam suapte voluntate datam, rejicere, repudiare, pro nichilo habiturum; si fallat, cedere Abbatæ, eamque passurum tradi in manus Romani Pontificis aut Episcopi *Hildenesheimensis*, multasque alias multas laturum.

Vix ea *Hinricus* promiserat, cum plurimi, quorum anima non fuit ad reformationem, egressi Monasterio, dispersi sunt alio alii per deformata cœnobia. Duo reversi, ceteri foris mansere; qui etsi vitam diu protraxere, mala morte illam finierunt, præter unum adhuc in humanis agentem, qui sociorum periculo exterritus, à *Bertramo* Abbate ad nos reditum petens obtinuerat; sed qui non venit, ipse fuit. Vivit adhuc multis cumulatus divitiis in loco, ubi non est timor Dei, sine dubio, (nisi emendaverit) complicum suorum morte moriturus. Sape illos *Lippoldus* redire exhortatus, nemo tamen bene monenti obtemperat; nemo vocem pii Patris audit. Vadunt post desideria sua. Retrahuntur alii pecuniæ cupiditate, alii alia voluptate. De pecunia dicunt: Potius quam pecuniæ cedam, demque alteri, eam omnem profundo mari dimergam. Avaro quid scelestius? Difficilis pecunioso volatus in cœlum. Inopi patet janua Regni.

X. At *Hinricus* ingenio plusquam Punico, cum accepisset, quas vocant *Bullas Apostolicas* ac legisset, seque *Monasteriumque*, soluto excommunicationis vinculo, licere vesci carnibus, mollibus indui, ad extremum *Monasterium exemptum ab jurisdictione Episcopi*, promissis manifesto descivit, Priorem tamen, & alios fratres, quos jam recepisset, retinuit. Nemo invitus bene facit. Quod invitus quis facit, nec diu nec diligenter facere potest. Nil perniciosius inveterata consuetudine eaque prava, cui quicumque obnoxius sis, desperanti salutem haut abfimilis es, tantumque valet, ut venenum cibum, mortem pro vita facere possit. *Hinricus* dum hic habitus animorum esset, & claudicaret utroque pede, hoc est, nec ex animi sui sententia victitaret, nec sanctum, quo erat adactus, fervaret, moriens vitam exspirat. Quo terræ mandato, *Præpositus major*, cui cognomentum *de Wenden*, supervenit Episcopi mandato; proponit, ad novi Abbatis electionem e vestigio procedatur. Fratres veteris vitæ diverticula quærere, magis ac magis subterfugere, indignari; ad ultimum queri, de Sancto Spiritu nondum celebratam Missam. *Johannes Bush* id longe ante providens, se legisse profitetur tum, cum *Hinricus Bertkow* Abbas Divi Michaelis pro anima *Hinrici* missam decantaret. Rumperent moras, præceptum Episcopi implerent, nullas causæ neciterent moras: Nichil referre, Sancta Missa an cantata esset. Erat Monachus quidam *Monasterii Sancti in Hildenesheim Michaelis*, invitè cum suis reformatus, veterem magis vitam, quam novam diligens, cui nomen *Johanni Maler*; homo, cui non plus aurum, quam monedulæ credendum. In hunc (præter Priorem ac cæteros reformatos) cunctorum ferme suffragia convenerunt. Quo ex more pronunciato, *Eggehardus de Wenden* Præpositus major coram assistens, indignabundus: *Maler*, inquit, *Maler*, non hic erit Abbas, non, si id mihi stet mille nummis aureis. Quis vestrum non novit illum? Nescitis, ut in reddenda ratione apud Sanctum Michaelem defecit? Non hic erit Abbas, non erit. Alium eligite, virum meliorem, virum de reformatione qui ameteam, non qui oderit. Quid agerent miseri? Veluti boves ungebantur stimulo quodam. Fit alia denuo electio. Post varias voces, post diversas à diversis electas personas, (conveniendi autem & colloquendi copia sublata) in unum aliquem suffragia dirigere non potuerunt. *Hinricus* Abbas Sancti Michaelis, e tribus vocum scrutatoribus unus, ut erat ingenio prudens, electores convocatos percunctatur, placeretne, is Abbas fit, qui suffragiis electorum major. Cumque responsum esset, placere, *Lippoldum Huisbürgensis* Monasterii Monachum Cellerariumque voce clara pronunciavit.

XI. *Lippoldus* ordine vicesimus secundus, primus reformatione; illustri sanguine fatus est e progenie, cui *de Stemme* inditum cognomen. *Huisbürgensis* Cœnobii Monachus, ibique officio Cellerarius fuit. Is ubi accepit de se electionem, haut confestim assensus. Neque ullo unquam pacto consensum præbuisset, nisi præcepta obedientiæ coëgissent. Postea vero, quam venit non ad nos: ad Divi Michaelis se contulit. Eodem extemplo ad eum mittitur à Præposito majore Episcopi scripta confirmatio. Sed ille tam re quam nomine Monachus, tam pauper erat, (quod postea prædicare solitus,) ut afferenti, quid dono daret, non habuerit. Res non minus admirationis quam exempli habens, dignaque, quæ transmittatur ad futuros. De loco prædivite venerat: Cellerarius ad eam usque diem fuerat. Cuncta illi erant credita. Plenus auro & argento, & quod ante alia tollit animos, Nobilis genere; & egenus inopsque venire non erubescit. Divitiæ sunt Monachi paupertas. Dives Monachus est, si pauper est. Deinde introducitur ad nos, atque ex more in Sedem Abbatialem collocatur. Novam tum faciem *Monasterium nostrum* induere visum, novo populo cum religionis cultu introgresso. Quam plurimis annis supra nostram primamque nostrorum & ultra ætatem jacuimus miseri, in situ ac luto, operiti tenebris, inculti moribus, negligentes vitæ Regularis, promissi juxta Regulam contemptores, sine Deo, sine lege, absque jugo, filii Belial. Sed introgrediente *Lippoldo* velut à die nox, cuncta, quæ retulimus, evanescere cœperunt. Non subito tamen, (nil enim bonum idemque repentinum,) paulatim res prospere iere. Ante ferenda adversa, deinde pacem habendum. Ante afficiendus injuria, contumelia, ignominia. Ante bella indicenda & domestica & externa: tum parta victoria requiescendum, tum post triumphatos hostes tranquilla perfrui pace.

XII. Principio *Lippoldus* vocatur in jus ab egressis, magna stipatis amicorum manu, redditum cupientibus, ejecto Abbate. *Lippoldus* stabat contra. Aderat illi *Johannes Bush*, Præpositus Sulsæ; Canonici multi Ecclesiæ majoris. Hi orantes Superos, illi minarum pleni, truci aspectu, sæva ira armati. *Ernestus* sedens pro tribunali induit personam judicis, tamen est amicus reformationis. Agitur *Lippoldus* negati redditus. Dicit causam. *Ernestus* refert ad Concilium; sententia dicitur & fertur, egressos posse revenire, *Monasterium suum*, uti prius, excolere; sed primo omnium proprio abnegare, obedientiam præstare, deinceps ad Regulam ambulare. Sententia fuit hæc atrocior in aure cupientium aliud audire, justa tamen. Expetunt judicem, in jus pertrahunt; quasi justitiam quærunt, neque justii ipsi neque justa facturi. Stat immota sententia judicis. Stant immoti illi, nec declinant à malo. Reperunt Lares, ubi ex voto vivere liceret. Redeunt in antiquam silvam, inferias mittentem. Malunt esse extorres patria, domo, cognatis, quam tam miti sententiæ subditi. Fert alia indigna multa nunc à factiosis civibus, nunc ab invitis reformatis. Et intus & foris prælia multa.

Nusquam respirationis locus. Saepe fruitur acies, saepe certatur, utrumque audaci animo. Nemo non vincitur, nisi *Lippoldus*. *Lippoldus* semper victor. Victoria finem belli facit. Parta victoria ingentem pacem parit, parcens victis, donator injuriarum. Et absentes ad reveniendum ultro adhortatur; redirent fiducialiter, ponerent timorem, bene sperarent. Pacificè ac benignè acturum, illaturum nil molestiarum, in caritate eos recepturum. Quid enim esset, ut homo cum homine faceret inhumanè. Et presentibus ac paucis reversis consolator adest, mirus ad lucrandas animas: pius se, clementem, misericordem, compatiens ostendit; Monasterii officia, administrationem rerum committit. Egit brevi, ut profiterentur, mansisse gauderent, nec se præ mansisse cupere aurum. Tantæ molis erat novam reducere vitam!

XIII. Posteaquam pax undique parta, redactum in novam vitæ formam Monasterium: difficile dictu, quantum brevi coaluerit non re spirituali solum, verum etiam temporali, manifestoque apparebat, Deo acceptam esse vitam eorum, qui donat affluenter colentibus eum in veritate. *Lippoldus* iter Sanctæ Regulæ, præcedens, discipulis demonstrabat, & illi læti tanto ductore sequebantur præeuntem, nec alium quam *Lippoldum* malebant. Imperium ejus veteribus novisque juxta carum. Curant ad disciplinam tanti Magistri Viri in seculo potentes, Viri liberalibus Studiis facile doctissimi; hauriunt è fonte doctrinæ *Lippoldi*, futuri ipsi Doctores, quod quondam aliis propinarent. Magister bonus bonos quærit discipulos, quorum quinque postea vidimus Abbates. Unum fecit in vita, quatuor post fata.

Post mortem *Bertramum* successorem, per quem tres reliqui Abbates facti, ut in *Bertramo* dicitur. Erat *Lippoldus* mansuetissimi ingenii, irarum parcissimus, semel tantum irasci visus, Pastor ovium suarum diligentissimus, persequentissimus culpæ, æqui rectique amantissimus, & qui vitam ita instituerat, ut eum, qui juste reprehenderet, ne unus quidem inventus. Qui eum carum habebant, ex animo amabant. Cui odiosus, ab illo diu odiri non poterat. Nemo *Lippoldo* invidebat, nisi admodum pravus, ne is quidem, quem forte offenderat. Delinquentem verbis castigatum plerumque virgis cadere solitus. Ille asperum ac immitem medicum, qui vulnera secaret, falso cavillans, invertit lumina, demissisque labiis iræ, & secum reputat injuriam. *Lippoldus* doctus salvandi animam, tristem blanditiis delinitum, victum ratione in lacrymam solvit, ac facit ultro optare, ut ab amante salutem amice iterum percutiatur. Si putas, inquit, animadversionem culpa majorem, illarum dierum tibi veniat in mentem, in quibus in hoc seculo nequam impune saepe peccasti. Ibi te commeruisse, si non es meritis hodie. Quid venisti? Ad epulandum? Non; ad patiendum, ad agendum pro delictis pœnitentiam, non ad felices dies habendum. Nunquam quo quomodo læsum dimisit implacatum. Offensum saepe invitavit pariter sumere cibum. Non potuerunt odisse *Lippoldum*. Nichil ei antiquius fratris salute, cum quo egit mansuetè, secum austerè. Qualis in suos, talis in alienos. Obviis, ut perhibetur, manibus hospites peregrinosque ac pauperes excipiebat; quibus se eum exhibebat, quem Sancta Regula hortatur ac jubet. Quos inter una sedens, omnem eis præstat humanitatem. Ibi tum non minus Græca facundia, quam abundantia Gallicana, servata temperantiæ disciplinâ. Cum Religiosis urbis nostræ reformatis, perque gyrum manentibus, indissolubile vinculum amicitiae habebat. Nec fuit unquam antea tanta inter Religionis Prælatos concors amicitia, quanta in diebus *Lippoldi*.

Nobilitati quoque æque, ut plebi, non carus solum, verum etiam in ingenti fuit honore, plurimum apud illos valens & imperio & auctoritate. Res in *Bennopoli* gesta est. Erat bellum potens Nobilitatem inter ac *Hildenesheimenses*. Nobilitas cum Capitulo, post *Hermannum* *Hasia* Lantgravium, Magnopolitanum Ducem *Balthasar* Episcopum adsciscunt. Civitas (*) de domo *Henningum* Ecclesiæ majoris Decanum jam confirmatum defendunt. Utrunque vires, utrimque arma, utrimque audacia ingens.

Castrum Episcopi, quo sese receperat Nobilitas, natura & arte munitum, forti obfidione *Hildenesheimenses* cingunt, atque machinis oppugnatae tures. Dum maxime Mars impius sævit, *Lippoldus* *Hinricus*que *Bertkow* Sancti Michaelis Abbas, facturi pacem aut inducias medios se ponunt. Jam enim utrimque erat commeatus inopia. Dictæ tridui induciarum. *Hildenesheimenses* non credunt. Suspecta fides est Nobilitatis. Abbates credere hortantur. Recusant. Faciunt fidem, ponunt utrumque Monasterium incredulis in pignus. Creditur tanto accepto pignore; commeatus in urbem importatur; manet inviolata fides. Quæ si ante diem rupta fuisset, ubi maneres? Ira te furentis populi in frustra concidisset. Involvisset Monasteria nostra unâ nobiscum extremum periculum, Tantum *Lippoldus* potuit! tantum valuit *Hinricus*!

Quantus

(*) id est, *Henningum* de Domo, quod nomen familiae.

XIV. Quantus apud mediam Nobilitatem Lippoldus, tantus apud summam. Apud *Ottonem Lunaburgensem Ducem*, Patrem *Hinrici* nunc Ducatus sceptrum tenentis, in magno pretio habitus. Gloriarum saepe Religiosus Princeps, unum è suis Vasallis regere Ecclesiam Divi Godehardi. Vocatur ab *Ottone*, imò oratur supplici prece *Lippoldus Henricusque Bertkow* reformare Monasterium in *Lunaborch Divi Michaelis* Ordinis Sancti Benedicti. Parent Ducalibus precibus, ingressi in civitatem, una cum Duce & Senatu Monasterium petunt. Pridie quam ingrederentur Monasterium, Dux ipse reformandi assensum ab Abbate Prioreque acceperat. Ceteri rogati à Duce, presentibus Abbatibus Senatuque, uno ore repugnant. *Otto* instat magis ac magis; minatur resistentibus exilium. Nichil terrentur, negant, renuunt, recusant. Tres è juventute Abbati ac Priori adjuncti. Evehuntur sex usque *Hildenesheim* per *Hinricum Bertkau*: revehuntur totidem per eundem & de Sancto Michaelis & de Sancto Godehardo, qui reformationis viam alios edocerent. Interea dum abest *Hinricus Bertkau*, Abbas Lunaburgensis accersit *Episcopum Verdensensem*. Venit, poscitur auxilium in malam reformationem, *persolvuntur itineris sumptus vicenis aureis nummis*, promittuntur majora. *Verdensis* noluit, quod non potuit contra *Ottonem*. Dum hæc fiunt, *Lippoldus* nusquam egreditur: manet intra Monasterium. Habet Collegam *de Zellis* Guardianum. Non volunt movere pedem, ne semel egressis intercludatur reditus. Disputatur, fiunt sublimes quæstiones, nescio quæ, non puto pro reformatione, contra reformationem. *Lippoldo* uni omnes objectantur; acutè, argutè, prudenter dissolvit. Redit *Hinricus Bertkau*, ducit secum sex reformationis Magistrum. Eos Abbas recens reformatus ad suam suscipit obedientiam. Quatuor alii, dum reformari detrectant, accepta licentia discedunt.

XV. Cum jam cunctæ res prospere eunt & ex sententia cæpta procedit reformatio; repente, dum non speratur, audax facinus committitur, & tam opus Sanctum dissipatur. Cum astante Episcopo, Duce, Senatus parte, Abbati Lunaburgensi Privilegia Capituli annalis Bursfeldensis leguntur declaranturque, ecce, (infandum) à plerisque Monasterii fratribus conscenditur in sublimem turrem, percussaque campana territantissimus editur sonus, velut in re hostili, velut dum vorax flamma potentatur. Ruunt ad arma cives, plerique ex composito, pecunia corrupti: alii rerum ignari hostile quid metuentes. Hi ad defendendos reformatores parati. Concurritur in forum primo, mox celeri pede Monasterium acceditur. *Otto* Dux repentino motus tumultu, credens subesse prodicionem, furenti plebi ceddendum ad tempus utile ratus, conscensis equis provolat ad portam. Porta obsærata inventa. Stanti pro portis clavigero clavemque manu tenenti, Vir Nobilis è familia Ducis eripit, ferisque referatis *Ottonem* educit incolumem. Relinquuntur in media mortis imagine Abbates, nec valet Senatus refrænare impetum insanissimæ plebis. Nec magis ipsi sunt tuti quam Patres. Armatus civis, ensẽ ferens & arcum, Monasterium percurrit, quæritans, quem male perdat. Refugiunt nostri, alius alio, à facie popularis tumultus; quærunť latebras & abstrusa foramina. Ascendit quidam (adhuc vivit) in foci caminum: Moriamur, inquit, in simplicitate nostra. *Hinricus Bertkau* absconditur in cæca camera, ad mortem se præparat, confitetur peccata *Lippoldo*, sed propter tumultum discurrentium, qui crescebat in horas, non absolvitur. Interea districto aliquis gladio ad *Hinricum*, ubi se occultabat, anhelus accurrit. Quem videns *Hinricus*: hoc, inquit, ferrum in viscera mea dimergetur. Sed agnitus est. Venit amicus, ut defendat, non ut feriat. Bene sperare jubet, docet, quid faciat. *Lippoldus*, cum se abscondit in cubiculo, intra cubiculum pene comprehenditur, primo cubilis ostio terribili strepore effracto. Verum repulsus impius furor, ad *Lippoldum* usque penetrare non valet. Tam ingens tandem tumultus aliquantulum sedatur. Orat dementiam populi Senatus, ut sine metu abire sinant Abbates. Non præbent assensum, nisi prius data ab Abbate *Hinrico* impunitatis fide. Qua data *Hinricus* cum suis egressuri, ad Monasterii portas accedunt. Tum magis furere plebs inquieta, auditæ voces horrendissimæ, voces, quas nemo, ne ipsi quidem, qui clamitabant, intelligerent. Non omnes, inquit, hic sunt. Ubi est ille cum nigra platta? *Lippoldum* significantes. *Erat enim Lippoldus capillo nigro*. Educatur etiam ipse. Egreditur tandem *Hinricus* Monasterio, trepide licet, in Summi Senatoris fide, cujus prehensum brachium, ne à populo lapidetur, non prius dimittit, quam ad portas urbis venit. *Lippoldus*, dum hæc fiunt, adhuc latitat; qui se postea, jam *Hinrico* educto, Summis Consulibus Monasterium ingressis, tanquam ab inferis resurgentem ostendit. Summi Consules orare, obsecrare, obtestari, ne conscium Senatum tantorum periculorum crederet. Senatum non minore percussum timore quam Abbates. Abire securus, iram Principis averteret, mitigaret Ducis animum. Senatum cras ad Ducem profecturum, facturumque quæ Dux Abbatesque vellent. Neque mentiti sunt: Nam postero die Senatus ipse ac *Lippoldus*, cunctis videntibus, ad Ducem properant. Ibi cuncta ex Ducis Abbatumque sententia dicta, reformatum Monasterium, reducti Reformatores, de seditiosis civibus tumultuumque auctoribus supplicium sumptum. Qui Monachi campanam ferierant, in perpetuum exilium acti. Eam rem neque *Dacorum Rex* neque *Dux Saxonie* infirmare valuerunt. Rogatus Senatus, quendam è tribus recipi, Regem Ducemque non audiunt. Excusant jusjurandum, quod *Ottoni* de nunquam recipiendis

fecissent Monachis. Stetit aliquamdiu hæc multo periculo empta reformatio, non progreditur, immo ad nichilum redigitur. Nam postea *Bertramo* Abbate, dum non universi Episcopi in unionem *Bursfeldensem* consentirent, Reformatores revocati ac reversi sunt. Monasterium in veterem statum redactum.

XVI. Non vacat laude sua *Lippoldus* etiam *Winbusensis* Monasterii reformati. *Winbusen-* cœnobium est *Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis* in ditioe Ducis *Lunæburgensis*. Id hoc modo reformatum. Rogatus *Hildenesheimensis* Præsul ab *Ottone* Duce, cujus supra memini, *Viro non minus religiositate insigni quam armis*, Abbates *Hildenesheimenses* ac *Jobannem* *Bus* *Winhusen* visitandum reformandumque misit. Visitatum Monasterium, proprietatis maximæ labe infectum inventum. Abbatissa ac reliquum vulgus sororum cum reformationi dicunt, contra, officio, administratione, dignitate privantur. Abbatissa nova, novæ Sorores, veteribus ejectis, subrogatæ. Hujus Cœnobia mores, conversatio, vita talis erat: Abbatissa nobili loco nata, genere *Hojensis*, annos nata septuaginta, Sororibus suis ingenti fuit terrori: nec vagans, nec incesta inter illas: in proprietate modo rerum omnes extra Regulam. Cistam communiter habebant, plurimis intus distinctam repositorii. Cista omnium, repositoria erant singularum. Huic cistæ clavicula una & clavigera una. In eam suam quæque pecuniam & de Parentibus & de Monasterii redditibus mittebant. Volenti clavigera aperuit, pecuniam propriam tollere permisit. Deinde denuo obsignat. Eâ singulæ pecuniâ cibum vestemque emere solitæ. Hinc putare Sorores bonæ, se præcepta Regulæ de non habendo proprio servare, in Communi vivere, proprietarias non esse, quod pecunia non communis in Commune erat reposita, quodque in communi uno eodemque loco, suum licet quæque, ponere mandabant. Sed longe erravit sexus imperitior. Fuerunt veræ proprietariæ, quia habuerunt contra Regulam sua singula peculia in propria potestate.

XVII. Nunc ad domum revertamur. *Lippoldus* non immemor prope domus, ad illam ornandam, augustiusque ædificandam animum adjecit. Erexit primum in Ecclesia simulachrum Salvatoris nostri *Jesu Christi* in cruce pendentis. Utrisque stat *Maria*, *Joannes* *Apostolus*, *Centurio* longius duoque latrones. Opus egregium, opus præclarum, opus ferro cæsum, cui nec dum vidi elegantia secundum. Cernas iterum in loco *Calvario* *Christum* suffixum cruci, latronem alterum defensantem, blasphemantem alterum; militem cæcum latera aperientem lanceâ, interius dicere admirantem *Centurionem*: Vere *Filius Dei* erat iste. *Joannem* lachrymantem, *Mariam* Matrem dolentem. *Zabulum* alatum devotum, blasphemantis animam expectantem, *Angelum* bonum super, hic autem, quid fecit? lætum volitantem. Deinde opus in choro aliud, quod stalla nuncupant, opus non minus formosum, quam sumptuosum, omni arte laboratum magistra. Nec habet Ecclesia *Hildesheimensis* tantum. Sequitur domus granorum, domus ampla, longa, alta, grandiori ære, quam priora ædificata. Jam Monasterium nostrum satis auctum opibus, in sanctitate vitæ morumque nobilitate florebat, cum anno regiminis *Lippoldi* octavo, lues gravissima veniens, Monasterium omne irrupit, fermeque bis fenos arreptos absumpsit. Absens tum forte à Monasterio, rogatus *Lippoldus*, à nescio quibus, [ne] Monasterium repeteret tam multis plenum mortibus, ne morientium se cœtui commiseret, ne involveretur & ipse pariter cum illis; nequaquam ita erit, inquit. Vadam ad Dominos meos, & moriar cum illis. Factumque est ita. Nam non diu postea eodem correptus contagio è vita decessit. Morti jam proximus *Venerabile* *Divi Godehardi* ad se allatum, brachiis & manibus juxta vires constringens, precatus eum: Omnia, ait, quæcunque feci in hac tua domo, o *Pater Beate*, tua causa feci: miserere infelicis peccatoris, ac ad *Deum* intercede pro me. Hoc edoctus (*) *Episcopo Bertramum* consilii *Lippoldo* moriens fecit. Perhibent, *Lippoldum* supplicasse, ut *Deo* pro uno dierum in seculo (**) in religione liceret vivere; exauditum, eodemque, quo est *Monachus* factus die, nescio quot annis re volutis, diem obisse. Mortuus est ergo *Vir domi forisque* apprime clarus, & cui uni, quæcunque bona ab usque reformationis tempore in Monasterio nostro, accepta referre debemus.

XVIII. Post *Lippoldum* *Bertramus* in sedem Abbatialem tollitur, *Vir exempli recti*, dignus ante alios, cujus nomen atque gloria tradatur hominum memoriæ sempiternæ, ne idem interitus corporis & nominis sit. Hujus ergo vitæ historiam moresque tanto fidentius stylo, quamvis rustico, mandabo, quanto oculorum testimonium differt ab sensu audiendi. Nam, cæteros aure tantum didici: *Bertramum* vero vidi oculis ipse meis. Quem *Virum* nostri Monasterii *Abbatum* & opere & sermone, & omni reliqua vita præstantissimum audeo dicere. Quod si errare videor in hoc, qui eum omnibus meliorem credam, non ita sum pertinax, ut meliori sententiæ concedere non possim. Tuncque fatebor errorem, cum alterum induxeris meliorem. Non ego nunc me ipse *Deum* facio, ut inter merita singulorum quasi *judex* aut *arbiter* sedeam, (cum ea summa sit difficultas) & alios odio in *Tartareos* lacus detrudam, alios amore ad *astra* feram. Sed quid interfit inter *aurem* & *oculum* *judico*. Si ad ea, quæ vidi, ipse spectes, nichil est, quod audita laudes. Facessat *invidia*. *Nemo* *calumniatur*. Hinc

vos

(*) forte ita, hoc edoctus *Episcopus Bertramum* consilio *Lippoldi* morientis *Abbatem* fecit.

(**) hic videtur deesse aliquid.

vos amolimini Bertrami invidi gloriarum. Non ego alios vitupero, non damno, immo vero, quantum potuit exile ingenium, collaudavi. Sed *Bertramum* audenter cunctis antefero. Illi contenti sint suis quisque meritis, suis ab se rebus gestis, suis denique præclaris facinoribus. Nec moleste ferant, si est alius major. Illis fortibus & præstantibus licet esse: huic necesse est, fortiori atque præstantiori viro esse. Juvat igitur tanti Viri præconium hoc pacto extollere:

Lenta falix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum salianca rosetis,
Judicio nostro tantum tibi cedunt Abbates.

XIX. *Bertramus* tenui loco ortus obscurisque Parentibus, honestis tamen, ignobilitatem generis morum nobilitate fecit illustrem. In tenera adhuc ætate ludo literario traditur à Parentibus, ubi ita lusisse perhibetur, ut paucis tempore evaderet Magister ex discipulo. Deinde, posteaquam excessit ex ephebis, sumpta toga virili Monachum induit, annos natus tres & vincti, sub *Hinrico de Woltorp* Abbate, in ipsa turba atque fervore, quo aliquanto post reformatum Monasterium est. Post fata *Hinrici*, reformato Monasterio ac *Lippoldo* Abbate decreto, cum multi, quorum vita in luxu atque desidia ad illum usque diem fuisset, retro pedem referrent, quasi tacti ab angue; & alii aliò demigrarent, à terrore reformationis: *Bertramus*, quanquam utcunque & ipse contrairer, cum paucis tamen manere maluit, postea defensus, quod aliquando impugnarat. *Lippoldus* autem cernens *Bertramum* industrium ac idoneum in rebus agendis, per varia Monasterii officia traductum, modo huic, interdum illi administrationi præfecit, otiosus in eo requiescens; quia erat vir in cunctis prospere agens, & omnia opera ejus à Deo dirigebantur: neutri fortunæ obnoxius, utramque expertus; haut minor adversæ quam secundæ mirum in modum contemptor: patiens laboris ac vigiliarum; quemadmodum calorem, sic tolerare frigora doctus; corpore adeo robusto, ut nichil supra.

XX. Cum autem Abbas factus esset, quis fando explicet, qui Vir fuerit? Non eum se gessit, quem nonnulli pie solliciti opinati sunt veterum magis vestigia sequi, quam nova; quod à veteribus vetus ipse amore magis quam judicio erat electus. At ille mutatus in alterum virum, non modo præsentem timorem sustulit, verum etiam pulcherrimam in posterum spem præ se tulit. Abstinit veteri vita, novæ adhærebat, ad *Lippoldos* conversus, neque *Helmoldos* neque *Henricos* imitatus. *Lippoldi* æmulus ac imitator semper extitit, quemadmodum amabat amabaturque ab illo. Nunquam homo idem ad res diversissimas habiliore ingenio fuit; & quasi singulorum hominum sensus, mores, naturam in se unum transformavisset, sic se unicuique aptabat; quorum nemo fuit, qui cum eo non habuerit aliquam conjunctionem gratiæ, alii maximam; alii mediocrem, nemo nullam. Eratque solus ipse homo omnis hominis jocosus cum jocantibus, serius cum serio agentibus, iratus, mœstus, severus, patiens; mitis cum irascentibus, cum mœrentibus, cum severis, cum patientibus, cum mitibus; gaudens cum gaudentibus, ludens plerumque cum ludentibus: sed hæc omnia in tempore. Sic undique instructus, & supra, quam credi posset; sic in omnibus exercitatus, ut eum putares in scholis fuisse, ubi ista discerentur. Neminem hominem spernebat, omnes venerabatur, quemque pro statu suo. Nunquam hominem obvium habuit, quem non prior ipse consalutaret. Nunquam accessit ad aliquem, aut aliquis ad eum, sive vir sive fœmina, quanquam ei sexui parcius, sive puer, sive rusticus seu doctus seu indoctus, quin manus porrigeret, dexteramque conjungeret dextræ. Pulchra in Viro (mirabile dictu,) dicendi suavitas affabilitasque sermonis, nec ad eum fere quisquam adiverat, quo cum miscuerat sermonem, quin se factum meliorem, ac *Bertramum* Virum bonum esse prædicaret. Cumque loquebatur, mira quædam imago lætitiæ in vultu oreque ac oculis refulsit. Nec procul abfuit risus, istamen modicus, verum per jocundus. Denique, ut parçissime dicam, ut erat homo, ita morem gerebat, & quemadmodum scriptum est de *Nerva Coccejo*, omnibus civilissimum se æquissimumque præbebat. Talem se *Bertramus*, talem se cunctis ostendit.

XXI. Timorem Dei nunquam deserebat; in conspectu Dei ambulabat, tanquam illo præsentem omnia faciebat. Rem sacram per singulos dies aut ipse faciebat, aut astante facienti; in celebratione rei Divinæ devotissimus. Preces horarum attentissime dicere, nos quoque, ut itidem factitarem, frequenti hortatu commone: speciali à Deo gratia & hic & in futuro donari, horas qui rite persolveret; contra hunc invisum & Deo & hominibus, qui negligeret: duo esse, quæ Monachos ei rei facerent obnoxios, sacer Ordo & Professio Sanctæ Regulæ: duplici poena eaque gravissima dignum Monachum, qui reddere nollet pensum servitutis. Esse quam plurimos seculi Presbyteros ac Clericos, multis sordibus commaculatos; pronos in omne facinus audere quilibet, quod neque sua, neque cuiuspiam interficit Christiani: horas tamen utcunque dicere suas. Quosdam dono linguæ extrema in hora, privatos, ob neglectas horarum preces. Cavendum atque providendum, ne nobis quoque, accideret, quod non vellemus. Reddendum Deo, quæ Dei, quæ hominis, homini.

A choro fratrum pfallentium vel legentium non valde sæpe absens, nisi aut infirmitas corporis, aut utilitas proximi, aut rei familiaris necessitudo impedimento esset. Legere doctus & cantare valde peritus, cunctum ferme cantandi nostro more genus memoriter sciebat. Facilius fallerè in codice, quam ille extra codicem. Præcentores si quando vel paulo altius vel submissius æquo incepissent, veluti bolum faucibus illorum eripuit erratum cantum, inque viam rectam reduxit.

XXII. Gregis, credite, vigilantissimus pastor fuit, & verbo illum pascens & exemplo, & omni eo, quod ad saginandas oves profere putabat. Saucias curavit, debiles reparavit, fortes custodivit, consolidavit infractos; & fratres suos non dilexit modo, verum etiam vehementer amavit. Illorum semper perfollicitus, sui negligens esse. Sibi leo, ovis fratri. Rarus admodum fuit ille dies, quo non illos alloqueretur singulos, ut sese haberent, rogitans. Siquem pallidiorem vel tristiozem, vel mutatiore solito vultu conspexisset, non ante desit, quam insolite rei causam agnovit. Qua cognita, suo cujusque vulnere remedium admovebat. Ut quemque mente ac animo sanissimum, ita corpore voluit maxime integrum. In reparando ægroto ferme pecunie profusus magis, quam parcus; fatius esse, dicitans, quam perire hominem, argentum profundere: hominis causa cuncta creata, pro illius salute, si alia desint, vasa Deo sancta divendenda. Tria apud Sanctum Ambrosium legi, ob quæ Sacras res Ecclesiæ vendere liceret: pro redimendis captivis, pro reparatione Ecclesiarum, pro infirmis sanandis. Nullo unquam pacto negligendum, quem Deus dignum duxisset, pro quo mortem occumberet. A dilectione proximi condisci dilectionem Dei. Haut secus fratri faciendum, ac ipsi recipere cuperemus. Neque aliter fecit, quam dixit. Nam quicquid ad fratris sui salutem aut corporis aut animæ pertinet, nunquam omisit, siue illud magno siue parvo stet. Ingenti amore illum prosequi, benigne alloqui ac respondere. Pium se illi, clementem, mansuetum, misericordem, humanum ostendere, si ille talis esset: si minus, non pium Patrem, sed dirum Magistrum, sed Dominum, sed verbera aspera. Perinde sese esse denique, ut tute voluisses.

XXIII. Res ipsa admonet & succurrit michi, (quoniam Bertramum plerique nimis iracundiæ infimulant,) de ea re, quid sentiendum, in medium proferre, & ostendere, infimulatores ipsos errare vel odio vel ignorantia. Ut volet quisquam, loquatur: ego tamen, non iracundum, sed vehementem dicere malo. Aliud enim est, esse vehementem, aliud iracundum. Quisquis autem vehemens est, non continuo iracundus. Vehementis erat ingenii noster Bertramus, non iracundi. Præclare Tullius in Philippicis: Me tecum iracunde agere dixisti solere: non est ita; vehementer me agere fateor, iracunde nego. Quod si tibi persuadere non possum, quin iracundum clamites: at illud fatere, non in iracundiâ perseverare solitum. Facilius placati animum induere, quam irascentis, ignoscentis magis, quam ultionem querentis: cum maxime ferveret, tam placidum, quam ovem reddi. De Bertramo puta dictum verius, quam de Casare: qui nichil soles oblivisci, nisi iram. Discite, Fratres, non irasci: si irascimini, facile ignoscere. Cujusvis hominis est irasci, non nisi insipientis, in iracundiâ perseverare. Alius irascitur, & insanit; Hic irascitur, in sua se non habens potestate, & neque tempore neque ratione sedatur. Alius irascitur, & non mutatur, eodem ore ac vultu permanens; & si mutatur, abstinere tamen peccato, loco, tempore, personæ se accommodans. Alii alio modo irasci dicuntur: primus tamen pessimè, cujus iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, oculi exasperantur. Quo in genere irascendi Syllam fuisse ferunt, quo de hoc memoriæ traditum est: Syllane prior, an ira ejus extincta sit? Ad Bertramum revertamur.

XXIV. Publica anteponere privatis, publicam se personam sciens. Monasterii ac fratrum utilitati ubicunque providebat. Ut multa collapsa reparavit, ita multa nova construxit: inter quæ est *domus infirmorum*, quam à fundamentis novam erexerat, domus inclyta valde. Vix secundam reperias in cunctis per circuitum Monasteriis. Magnam partem Ecclesiæ plumbo textit, trabibusque conjunxit. Duo hæc maxima impensa. Illam haut magno periculo, multo labore tamen: hanc summo cum discrimine. Nam altitudo ejus partis Ecclesiæ prope immensa. Aliam quoque domum, quod allodium appellant, non tam parvo sumptu, quam humilis videatur; & alia multa, tam in utilitatem necessitatemque fratrum, quam cotidie adventantur. Ea ædificandi dulcedine ducebatur, ut, si ærarium plenum fuisset, (procul alio vel necessitatis vel utilitatis usu meliore) cunctam pecuniam absumpsisset in ædificando. Longe tamen ab eo fit, quo reprehenditur unus ex Cæsaribus, nescio quis: In nulla re profusior, quam in ædificando.

Amore etiam librorum valde flagrabat, quorum tanto captus erat, ut vasa potiora argentea conflaret, & pretio eorum emerit libros. Cumque audisset dicentem, in lucem prodisse novos libros, & vel illos vel illos impressos: supplices manus ad cælum expandit, proque novo munere Largitori omnium bonorum magnas gratias egit. Quam multos ipse emerit, & quantum ampliaverit Bibliothecam nostram, numerus ipse indicat librorum. Plerosque etiam manu sua descripsit.

XXV. Erat autem corpore pulcro (ne Neronem putes) magis, quam venusto, capillo subnigro, præmodicis intermicantibus canis, fronte virili parum arata, oculis perspicacibus vividisque, prope accedentibus ad Augusti, brunedine quadam circumscriptis; naso iusto, naribus auribusque patulis, purpureis labiis, genis plerumque virgineo rubore perfusis. Dentes albens, barba subrufa, facie honesta, vultu nunc hilari nunc satis terribili; collo nec longo nec brevi, humeris vastis cum pectore amplo, ut virum robustum agnoscas; Ventre neque projecto neque contracto; brachiis lacertosis, manu fortis, digitis elegantissimis ac teretibus, gracilibus cruribus, qualia querit in milite forti (*) *Renatus*, pedibus firmis stabilibusque; statura procerior quam humilior; sicque omni corpore viribus fortis, ut nulli nostrum ea tempestate putaretur secundus. Per omnia membra hispidus, procul tamen Satyro. Hispida membra, & dura per brachia setæ, promittunt atrocem animum. Cingulo nigra ac lato, veste sæpe communi, bonneto nec pretioso nec vili. Ita igitur illum dispositè, & quasi ad regulam effinxit omnium artifex ipsa natura, ut, si pingendus sit, *Apelles* ipse ab inferis revocetur. Neque nos ista superfluo commemoramus. Etenim quemadmodum corpore dispositissimum meminimus, ita ipsomet ordinatissimus erat. Pulcher corpus, mentem pulchrior, robustus corpus, robustior mentem. Omnia viro bono similis, opus, verbum, conversationem. Vir singulari humilitate, ita ut operaretur manibus, & neque gravitatem neque vilitatem laboris rationem habens, sæpe arripere rutrum, & terram defoderet, sæpe securim, & ligna scinderet, sæpe fruges maturas colligeret, & abjectissima quæque ultro faceret, plerumque secreto, interdum autem in publico. Deliciæ illius, esse cum Fratibus; quibus sine ne cibum quidem sumere; quos crebro fecit mensis accumbere secum. Mensa ejus inter fratres aut cum hospitibus & peregrinis, quiscum non discumbere sine conviva fratre. Adeo erant apud eum in honore!

XXVI. In hospitibus ac peregrinis suscipiendis quam fuit alacris, quam læta fronte, quanta hilaritate, quanta denique caritate, non opis est nostræ referre. Ac nescio, an Tullius ipse, ab inferis retractus sedibus, ei rei queat facere satis. Adventantes peregrinos atque hospites, maxime, quos sacer habitus convestiret, haud secus atque Christum suscepit, quem in illis venerabatur, honorabat, adorabat. Denudatoque omni capite, lætissimo vultu, lætissima manu adventum illorum gratulari. Quos primo, manu perbenigne acceptos, viam Sanctæ Regulæ ingressus, *ducit ad orandum*: qua perlecta, oscula pacis per singulos libavit. Deinde in cellam hospitum itur ad humanitatis munera. Tum onerantur mensæ, & quod opus est parato, paratur. Nul- lum officii genus, nullum genus honoris, nullum humanitatis solatium prætermittit. Ipse aquam in manibus discubitoris dat, sacras literas ad mensam ipse legit, ipse comedentibus splendidissima quæque præponit; attingere ad cibum, qualem Deus dedit, hortator semper adest. Lætus ipse, sint cæteri læti, admonet. Nil tum ibi triste, nil plus iusto severum. Olent cuncta hilaritatem, permiscuntur tamen plerumque seria jocosis. Siquem cernit mœrentem, affatur, mulcet, solatur, nec prius absistit, quam animos illius sustollat. Egregie de hac re Arpinas: Et ludo & joco uti quidem licet, sed sicut somno & quietibus cæteris, tum, cum gravibus feriisque rebus satisfecerimus.

Postquam exempta fames epulis, mensæque remota, secundo lympha funditur, dictisque gratis iterum committit dexteram dextris, testem fidei; & patientiam habere, siquid minus actum, precatur. Tum, nequid humilitatis ommitteretur, exemplo Christi surgit de mensa, oratque universos, ut sese comparent ad lavandum. Si in veste seculi intererant, ibi haut facile plerumque ablui sinebat. Verum Bertramum tam nemo fugere quivit, quin lavaretur, quam nullum alium pro se lavare permisit. Excusante autem viro seculari: Domine, habeo caligas, non possum detrahere. Ego vero, inquit, lavare didici etiam caligas. Vidi ego persæpe, *nam diu atque sæpe fueram hospitum magister*, hospitibus ipsis calceamenta vel- le detrahere; quam tantam Tanti Viri humilitatem tremantes non sufferebant. Infusa aqua, capit semicinctium, portansque collo terforia (***) supplicia, inflectit genua, ac prehenso lavandos pedes lavat, tergit, osculatur. Deinde nisi serius impedit tempus, sit reditus ad priora. Postremo omnibus rite peractis, petitur cubile, iturque dormitum. Cum autem hospes ipse abire vellet, non ante consensit, quam confortato stomacho præstitoque viæ commeato. Accipe, inquit, prius benedictionem à coquo. Sed ille bonus vir, dum nimium hospitibus studet, inque multam noctem proximi causa vigilat, ægrum corpus facit de robustissimo. Non summis, ut ajunt, labiis, sed totis præcordiis invitandus hospes. In hospite atque advena Christus ipse suscipitur hospes. (***) *Q. f. in. & f. me. Dixi,* qualis fuerit erga hospites, nunc qui in pauperes, accipite.

Totus ex miseratione compositus, totus ex compassione formatus; Oculus fuit cæco, pes claudis, Pater pauperum, cunctarumque miserabilium personarum piissimus consolator. Non modo petenti tribuit, verum etiam non petenti obtulit ultro. Non me latent secreta illæ

(*) Flavius Vegetius Renatus.

(**) quasi superplacia.

(***) Qui suscepit unum parvulum in nomine meo, me suscipit. Matth. XVIII, 5.

illæ elemosynæ, et si maxime nos celare voluit, quæ erogavit in pauperes ac mendicos proxima rerum omnium caritate. Maçte virtute *Bertrame!* sic itur ad astra. Quis te *Bertrame*, tacitum, aut quis te sine laude relinquat. Age igitur, coge torpentem calamum, & siquid adhuc superest, libens evolve.

XXVII. In visitandis reformandisque Monasteriis, nescio, si parem habuerit. Illud scio, in ea re præstantissimorum Patrum industriam aut æquasse aut excessisse: nam non minus calluisse experientia quam prudentia, non minus clementia quam severitate; majorem tamen fuisse clementiæ quam severitatis sectatorem, acriter dulcem, dulciter acrem, nichilque perperam, injuste, temere facientem. Sermones ejus cum sale, dentes sine sale. Multa ejus & in reformando, & in visitando vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acutè ferri. Diligentissime ea munera solitum obire. Quodque magis mirum est, Collegis suis male audientibus (quod tum maxime fieri solet, cum Monasterium reformes,) hunc audire bene, illis plerumque non sine formidine mortis partes suas obeuntibus, Bertramum unum honorari cunctorum gratia ac favore. Sic didicit, sic potuit, sic erat ingenium. Quod Monasterium nostri ordinis in Saxonia sine Bertramo reformatum? Quo convenere Saxonix Abbates sine Bertramo? Quid interpretabatur sine Bertramo? Quid caput ipsum Bursfeldensis, quam rem sine Bertramo? Bertramus fuit unus, ad quem respiciebatur. *Ringelem* olim Imperiale ac opulentissimum vix panem habens ad vescendum, reformavit. Veterem *Ulzen*, alio nomine, veterem civitatem, per devia quæque præceps cursitantem, in semitam rectam reduxit utcunque, Hermanno Abbate Sancti Michaelis opem ferente. Huic Abbatem dedit & Priorem, duosque aut tres Fratres adjunxit: Illi Priorem duntaxat, & fratrem unum. Priore mortuo, alterum misit Priorem. Quibus omnibus, excepta vetere civitate, tanquam si adhuc sui essent, (quod pauper erat locus,) multo tempore vestitum suggestit. Quid de *Steina*? quid de *Corbeja*? quid de multis aliis dicam? Cuncta prospera evenerunt, ad quæ miserat manum suam, præterquam *Corbeja*: ibi plus laboris, plus sollicitudinis, fructus minus fuit. Cujus ruinam atque interitum deplorarem hoc loco, ni brevitati consulerem. Dixi jam in *Henrico de Godelem*, olim aurea, nunc lutea & prope nulla. Altius, quam Lucifer ipse, corrui. Multa sunt alia memoria digna, quæ dici possent de *Bertramo*, inter quæ hautquaquam tacitum debet esse, quod Abbas ipse complures Abbates alios producere meruit. Bis duos Abbates e gremio suo, quorum ipse Magister ac Pastor, aliis dedit Monasteriis; *Ilseburgensi* Hermannum Pælde, *Veteri Civitati*, ut paulo supra dictum est, Johannem cognomento Novæ Civitatis, *Sancti Michaelis in Hildenesheim* Johannem Læff, quem antea Priorem *Corbejenfis* miserat, Henningum *Caleberch* successorem sibi reliquit: Viros certe egregios, & de quibus magna volumina texenda essent. Quibus de, quod adhuc præsentem vescuntur aura, judicium meum auferam, atque aliis post me memorandos relinquam. Universos tamen, (ne in totum illos transire videamur,) Viri boni famam possidere fertur.

XXIIX. Anno penultimo, quo de vita migravit, quod & antea diu dicitur secum ipse agitavisse, ultro se Magistratu abdicat, Notario, testibus adhibitis, in facie totius Capituli. Ea nobis abdicatio cum improvisa tum molesta fuit. Nam ubi primum abdicacionis verba faceret, ex Fratribus alios taciti gemitus, alios tristes lachrymæ, alios, ut ipsi putabant, justa ira, dolore atque mœstitia plenos, prodebat. Non fuit, qui non doleret, non fuit usque ad unum. Nemo tamen aliquid dicere: omnes stupefacti stare.

At posteaquam est egressus Capitulo Bertramus, tam gemitus, dolor, mœstitia, miseria, in congregatione, dum nesciebat quisque celare, quanti semper fecisset Bertramum. Alteri alteros respicere: consilium omne cum re perditum, confusa omnia esse. Tanti dolorem suum reputabant. Nam sine capite quid reliquum corpus? turpe atque deforme est. Hi dicere, accersendos visitatores, ut in novi electione: illi, consulendum Abbatem Divi Michaelis, advocandumque, ut in re dubia simul consilium simul auxilium præstaret. Abdicationem *Bertrami* nullius momenti, nullo subnixam fundamine: quippe quæ absque Ordinario facta, Proinde ponendum metum, sistendas lacrymas, bene sperandum: adhuc Bertramum Abbatem. Id ex templo rei ipsum posse probari. Alii aliter: Abdicationem ipsam Canonice celebratam, palam omnibus, Notario, teste, coram. Haut parvi referre, consultum Ordinarium non esse. Unam hanc spem superesse, ut denuo Abbas eligatur, nolentem consensu probe posse cogi. Ajunt, cum à Fratribus prope increparetur, quid egisset? cur sic se Magistratu dignitateque exuisset? quid rerum esset? Non ita se speravisse. Si deliquissent, spondere, emendatiores futuros. Si ita staret sententia, ut ad eos redire nollet, acciperet ab ultro offerentibus aliquam, (ut ferunt,) provisionem. Ne sic se ipse deprimeret. Respondisse, id nunquam esse futurum. Privatam vivere malle, haut secus ac alii. Desinerent ea loqui, quæ molesta sint audienti. Nulla humilitas sublimior, & quæ virtutem vel Gregoriorum vel Ambrosiorum æquaret? & quid dico? æquaret? excederet. Facilius quis toleravit ante Magistratum quam post, privatam ducere vitam. Dum hæc geruntur apud nos, velox repente fama tota urbe vagatur de *Bertramo*, eaque mox ex urbe ad arcem Episcopi pernicibus volat, alis. Qui id molesto animo ferens, haut mora, e castro advolat in Urbem, suorumque habito

con-

consilio *Bertrami* accersiri jubet. Is ubi venit, confidentibus cunctis in loco Capitulari Ecclesie majoris, hanc ad eum fertur orationem habuisse.

XXIX. Quæ te res, *Bertrame*, subegit, ut tam subito, & velut ex tempore, tua solius potestate, nobis inscientibus, officio cederes tuo, quod nemo homo, ne tu ipse quidem sine nobis, qui id quodammodo donavimus, potes auferre. Nunquam fore putabam, te ut tam levi victoque animo viderem, quem unum habeo Prælatorum omnium præstantissimum. Fare, quid causæ tibi? An quia oves tuæ bonæ sunt? At non hoc est pii Pastoris. An propter eos, qui peccaverunt? Atqui si propter impios susceptus Magistratus deserendus est, nos imprimis cedere, & manum dare debemus. Ergo abeamus Principes muneribus, æquato imperio cum æqualibus vincamus. Nemo sit, qui præcipiat, nemo, qui obediat: bonus non habeat, quem defensorem paret, impius licentius impune ruat in scelera. Non ita est, sed ut est apud (*) *Poetam*, nescio quem:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Omnibus hominibus, qui supra alios Rectores elevantur, opus est animis & pectore firmo contra infida adversaque ingenia; neque ignavia sese neque socordia tradere, neque timere eos, quibus debent formidini esse. Sapientis est, quicquid homini accidere possit, id præmeditari, ferendum modice esse, si evenerit. Majoris omnino est consilii, providere, nequid tale accidat: sed animi non minoris, fortiter ferre, si evenerit. At, quod nunc evenit, quod nolebas, recipito animum. Expergiscere, fac te virum ostendas. Quid tuus reliquus grex commeruerat, ut ita defugeres? Si te unus & alter pravus adducere potuere, ut juxta bonos ac malos derelinqueres: cogant multi boni, ut bonos ipsos cum malis recipias. Bonus Pastor morbulentam ovem, ne alias contactu commaculet, ab cætero grege dividit, non deserit: curam ejus habet, affert medelam, tamen plerumque non sanat. Quam demens, si propter unam aut duas pestilentes oviculas, reliquas fugiat cunctumque gregem, & faucias & integras voraci lupo committat finatque abliguriri. Cur vero post tergum tu deseris, quos videas tua causa, certo scio, tam crudelibus lacrymis cruciari. Gemunt, dolent, flent, contristantur. Et siccis hæc oculis aspicias? Atqui si ad cor redeas, (quod bona venia dictum sit,) erubescas. Haut parva est culpa tua, *Bertrame*, dereliquentis gregem tuum tam ob parvulam rem. Quid quis tu juste obrendere? Quid excusas? Valerudinem? At nec dum tam es invalidus vires. Annos? Quot? Quinquaginta vix dum habes. Canos tuos? Habes quidem, sed id minimi refert. Duros labores? curas mordaces? Siccine refugimus laborem, ad laborem qui nati sumus? Habesne adhuc aliud aliquid? An hæc sunt omnia? Quid tibi? Per nos tibi obedientiam, qua es nobis obnoxius, per quicquid est aliud, præcipimus, ut oves tuas repetas, Abbatiam recipias, & quem hucusque gessisti, Abbatiatum, geras. Nobis ita volentibus abdicatio illa tua nulla est. Quid agas melius, nisi, tu ut obedientiam facias, quam ipse faciendam docuisti, ut sermo tuus moribus respondeat? Igitur felix, & quo te & nostra præceptio & tua virtus vocat, dirige gressum. Sunt nobis dux Dioceses, in quibus Monasteria multa. Ad ea operam tuam nobis necessariam esse scito. Cave, posthac amplius feceris.

Ad hæc *Bertramus* breviter & modeste: non se id neque subito neque ex tempore, sed præmeditato fecisse. Nec vero tam hebetem esse, ut quo noctu ducant insomnia, eo interdiu iret. Eam ipsam rem multo ante secum animo volutavisse: quorundam consilio, prece, amicitia impeditum, quo minus antehac facta. Esse quamplurimas easque non vulgares abdicacionis causas: eas se, ne longum faceret, præterire. Nunc de non consulto Ordinario sic se paucis expurgaturum. Scire se, in hac sua re consulendum Ordinarium fuisse. Id neque odio, neque contemptione, neque inscientia prætermisissum, sed consulto, qui existimavisset, apud eum ipsum Ordinarium jam factam abdicacionem ratam fore, futuram non fore. Orare adhuc, ut facta infecta non faciat. Id si abnuere pergeret, scire obediendum esse majori. His sermonibus ultro citroque habitis, Præsul *Bertoldus*, Princeps singulari facundia, & quem quavis laude dignum ducas, *Johannem Abbatem Sancti Michaelis* accitum orat atque jubet, una cum *Bertramo* Monasterium nostrum petere, ac nos, quæ sit sententia sibi de *Bertramo* edocere nomine suo. Is ubi venit, convocatis Priore ac Fratribus in loco Capitulari, sublimem conscendit suggestum, atque hanc orationem præfatur.

XXX. Quemadmodum, Fratres mei dilecti, *Bertramus* Pater meus Venerandus sua se ipse sponte Magistratu abdicavit, ipsi melius scitis. Vidistis, audistis, doluistis. Nemo vestrum tum siccis oculis fuit, nemo sine lacryma, nemo sine dolore. Luctu omnia complectis. Neque immerito: Nam quis vestrum, Fratres, æquo animo ferret, avelli atque rapi tantum Magistrum à discipulis, tantum Pastorem ab oviculis; à complexu carissimorum filiorum tam pium Patrem, qui cum Vobis fuit cor unum & anima una, quem-

Hh

que

(*) *Virgilium*.

que amavistis, non ut dimidium animæ vestræ, sicut ille, nescio quis, sed sicut totum animæ vestræ, quemque semper quavis laude majorem putastis. Hunc si properata mors admississet, heu qui malus dolor pectora vestra pervaderet. Quid modo? Non minus, scio, doleretis; nisi quod vivus, magis quam mortuus, sperare facit. Non vos autem solos, (quam nullorum magis, quam vestra interest,) verum etiam hos, qui foris sunt, dolor iste vehementer compunxit: etiam Præsulem nostrum *Bertoldum*. Hic rem gestam ubi didicit, nostrum *Bertramum* parvitatemque meam convocavit, ac illum abdicationis causam dicere iussit. Qua cognita non sane eam ratam, verum irritam declaravit; abdicationem ipsam, haud factam Canonicè, injussu suo seque non consulto, nil solidi, nil momenti, virtutis nil habere. Deinde hortatus est multo sermone, petiitque, immo iussit atque imperavit, ut, quam dimiserat Abbatiam, recipiat; vosque oratos facit, recipere illum. Per semet accedere ad vos voluisse, ni vos gravare veritus esset. Hæc me vestra Dilectioni dicere voluit. Tum assurgens *Prior* cunctorum nomine amplissimas gratias egit. Tum incredibile dictum est, quantum exultavimus, exorto insperato gaudio, vetere exterminato mœrore.

Quem de improvise amiseramus, de improvise quoque recepimus. Vertitur haud longo post tempore inter Jureconsultos grandis quaestio: Ratane sit ejusmodi abdicatio nec ne? quibusdam quidem dicentibus sic: aliis vero non. Veriti tamen, & Episcopus ipse, & nonnulli inter eruditos amicorum nostrorum, nequid in posterum detrimenti emergeret, certa que dubiis stabiliora credentes: uti novam de more electionem celebraremus, suadebant.

Neque falso suspicati sunt. Nam quidam, (non ignotus est,) perinde ac esset absque Abbate Monasterium nostrum, in Romana Curia impetravit, ut ajunt, in Commendam. Qui cum Romam ad nos pergeret, jam satis *Bertramo* functo, *Henningo*que successore, morbo tactus in ipso itinere periit.

Obtemperamus bene consultantibus. Nova electio facta: *Bertramus* secundò Abbas creatus. Non diu postea vitium. Ante quatuordecim plus minusve mortis dies in Ecclesiam cum ædituo ibat. Venit ad sepulcrum *Lippoldi*, quem exsculptum in lapide sine Episcopali mitra, custodem quamprimum coronare iussit. Pergunt duo pariter. Ubi in mediam Ecclesiam ventum, sistit gradum *Bertramus*, atque digito extenso locum ostendens: Hæc requies mea, inquit, sepelite me hic, postquam mortuus fuero. Sepultus est in eodem loco. In, cujus morte, (præterea inferiores) terrarum Principes illacrymaverunt.

XXXIV.

DE
ORIGINEMONASTERII MONTIS S. MARIE
PROPE HELMSTEDE NARRATIO

Ex MSto.

Mons est in Saxonia, quem sibi præelegit virgo Maria in fronte Helmstedensis civitatis, ad occidentem situs, ac sanctissimo virginum conventu insignitus: olim neglectus, sed nunc præclaro cœnobio & signis præditus, & à diversis peregrinis optimè cognitus, qui olim patuit armentis; sed tamen, ubi monasterii structura est, nunquam destercoratur pecudum purgamentis. Qui locus lumine cœlico visibiliter crebrius illustratur, cujus frequentiam civis, rusticus, advena, incola miratur, & tria spatiosis rimis, quod non poterat oculis annotari lupinis: nec poterat exinde crescere ambiguitas, ubi tam frequens & lucibilis visa est claritas. Et sicut Jesus Mariæ filius non sapientes, sed rusticanos homines elegit Apostolos, per quos sanctam ecclesiam ædificaret: Sic mater & filia virgo Maria per humiles rusticos, non per doctos clericos elucidans sibi subegit, quia justum erat, ut humilitatis imitaretur exemplum; quæ in humilitate magna, angelò nunciante, Dei suscepit filium.

Quæritur itaque, quis sit fundator ecclesiæ? Respondendum, summi Principis miracula & Mariæ, quam dotavit largius Rex gloriæ, quorum auribus omni pio audibilibus virgines devotæ cantus instillant mellifluos, ut post mortem in Angelorum choros recipiantur dulcifonos.

Nunc